B.N.C.F.
MAGL..5.6.199.
CF005270811

Biogr. Gen. 20 C
~~5. 6. 199~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

VOLUMEN XI.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

PISIS MDCCLXXXV.

EXCUDEBAT ALOYSIUS RAPHAELLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO

ARCHIDUCI AUSTRIAE &c.

ANGELUS FABRONIUS

GRatulor Etruriae et ſaeculo, quod vel a tenerrima aetate, Celſiſſime PRINCEPS REGIE, non adumbrata ſed expreſſa indicia dediſti ſin-

Digitized by Google

gularis in humaniores litteras amoris et ſtudii. Quidni ergo confidam Tibi acceptum fore munus voluminis, quod vitas continet hominum, qui totas aetates in doctrinis excolendis contrivere? Hi quidem ſi reviviſcerent non mediocrem laborum ſuorum fructum ſe percepiſſe judicarent, quod patrocinio Tuo digni habiti fuerint; et vel ii, qui ſacrorum jura, morum diſciplinam, omniumque divinarum rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuerunt, nonnihil de ſeveriori ſupercilio remitterent, cum in conſpectum Tuum ſe vocatos eſſe intelligerent. Perge, humaniſſime Princeps, litteras juvare et colere, eosque ſovere, qui exemplum Tuum ceteris imitandum proponunt.

Digitized by Google

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

ANGELUS FABRONIUS

NERIO CORSINIO CARDINALI

S. P. D.

SI cui forte laude dignus videbor, quod ad hiſtoriam ſcribendam me applicuerim, quidquid hoc erit laudis tibi, Cardinalis ampliſſime, referam acceptum, qui me adoleſcentem alia ſtudia colentem, alia cogitantem ad hoc ſcriptionis genus vocaſti. Placuit enim tibi onus mihi imponere, ut litteris mandarem res geſtas Summi Pontificis Patrui tui Clementis XII., quod quidem licet majus eſſe intelligerem, quam ego ferre poſſem, recepi tamen, cum maluiſſem videri nimis audax, quam parum voluntati tuae

Digitized by Google

obſequens. Confeci ergo commentarios rerum illius praeſtantiſſimi Pontificis, eoſque in lucem exire ſivi, nihil reformidans criminationes hominum; quas multas fore videbam multis de cauſſis, ſed ea praeſertim quod non ſatis conſultum tanti Pontificis memoriae videbatur, quod ab eo illius hiſtoria tractaretur, a quo maturitas aetatis & ingenii, ſcribendique exercitatio aberat. Sed qui ſemel timorem abjecit, eum bene & naviter oportet eſſe confidentem. Itaque vix a me ſatisfactum fuit promiſſo ac recepto, quo me tibi obſtrinxeram, cum ad alterius Pontificis hiſtoriam contexendam animum traduxi; neque hoc contentus, explicandas quoque ſuſcepi vitas excellentium doctrina Italorum, qui aut noſtra, aut patrum memoria floruerunt. Opus quidem magnum, quod plurimi his temporibus apud nos vixerint, quorum imagines exprimi maxime conducit ad Italiae laudem, ejuſque incolarum utilitatem, quodque neceſſe ſit in magna rerum varietate verſari, cum unus in una facultate, alius in alia excelluerit. Neque autem ego ſum ita demens, ut me tantum onus ſolus ſuſtinere poſſe putem. Itaque vocabo alios in ſocietatem laboris; nihil ſtatuam in referendis perpendendis-

que ſcriptis libris, quod homines judicio eruditiſſimi prius non comprobaverint; eligam idoneos Ariſtarchos, qui, ſi quod erit animadverſum peccatum, corrigant; exquiram ſinceros & veridicos doctores, qui me de iis rebus, quas ſcire opus ſit, diligentiſſime faciant certiorem; & admonitores quoque non verecundos mihi parabo, qui me attentum teneant ad omnes hiſtoriae leges, praeſertim cum ſcribendum erit de hominibus aut amicitia, aut aliis vinculis mecum conjunctis, ne amori meo pluſculum quam concedit veritas largiri videar. His ſubſidiis ſpero non ſolum aequorum expectationi, ſed etiam iniquorum invidiae me ſatisfacturum. Tu interea, Cardinalis ampliſſime, habebis diligentiae meae ſpecimen in hac, quam ad te mitto, Cardinalis Urſii vita, a qua idcirco ſcribendi initium ſumpſi, quia me tibi rem gratam facturum putavi. Explicat enim ſcripta, mores, conſuetudinemque hominis, cujus commodis ac dignitati, rebus ſummam in contentionem propter Jeſuitarum potentiam adductis, ſic faviſti, ut plura a parente proficiſci non potuerint, quam a te in eum virum collata ſunt beneficia; quique tantis erat tibi non ſolum meritorum, ſed etiam amoris vinculis a-

ſtrictus, ut nulla unquam fuerit amicitia conjunctior. Ac mihi quidem ſaepe de iſta neceſſitudine cogitanti quaerendum videtur, quid tantam amoris vim gignere & continere potuerit. Cujus rei hanc unam cauſſam reperio, lumen virtutis, quod in utriuſque veſtrum animis elucebat. Profecto nihil eſt virtute amabilius, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum; quapropter cum aliquem nacti ſumus, cujus cum moribus & natura congruamus, quod in eo virtutem bonitatemque perſpicere videamur, exardeſcat oportet admirabilis quaedam benevolentiae magnitudo. Itaque dubitare non poſſum, quin legens ea, quae pertinent ad declarandos mores Urſii, tete ipſe recognoſcas, & conſcientia tuarum laudum & ſimilitudine quadam, quae inter vos extitit, delectere. Neque in his libris hoc unum tui exemplar intueberis, Cardinalis praeclariſſime. Propoſitum eſt enim nobis, ceteras inter imaginem quoque exprimere Philippi Corſinii patris tui. Cujus quantique viri! Is profecto ita vixit, ut omnes in eo ſint admirati praeſtantiam in litteris, juſtitiam, fidem, probitatem, prudentiam liberalitatemque. Eſt in manibus hominum Mexicana hiſtoria, quam ex Hiſpanico in Italicum

Digitized by Google

ſic convertit, ut nihil fieri poſſit elegantius: extant quoque nonnullae ejus orationes ſane nobiles, quas in doctorum virorum coetibus dixit; nota ſunt ſumma, quae in eum contulerunt, honorum ornamenta Medicei Principes, atque illud in primis, quod a Ferdinando II. una cum clariſſimo viro Laurentio Magalotto comes eſt additus Coſmae Filio, quem omnibus per Europam itineribus cuſtodes & prope morum arbitri aſſectarentur. Credibile eſt quidem a tanto Principe cariſſimi Filii curam nonniſi iis fuiſſe concreditam, qui poterant illum ad omne eruditionis virtutisque genus inſtruere. Sed de his alias. Tu fac interea, ut quando jam hoc tribuiſti humanitati tuae, ut nos noſtraque ſtudia ſuſciperes, tribuas idem conſtantiae, ut ſuſcepta tuearis ac foveas. Vale.

Romae Kal. Maii MDCCLXIII.

Joſephus Auguſtinus
Cardinalis Urſius.

Joſephus Auguſtinus Urſius Florentinus parentes habuit Joſephum Urſium & Eliſabetham Jannetiam, quibus etſi honos ac jus Florentinae civitatis hereditarium, tamen non admodum ampla res familiaris erat. Ab his, quod integritate morum eminerent, quanta diligentia fuerit Joſephus jam a prima aetate inſtitutus, facile eſt exiſtimare: quantam vero is de ſe jam tum omnibus faceret expectationem, hoc erit teſtimonium. Quartum agebat aetatis annum, cum ad materteram, quae in oppido S. Caſſiani, quod Florentia millia paſsuum octo abeſt, religioſum vitae genus profeſſa fuerat, eum parentes adduxerunt. Erat eo loci eadem vita inſtitutoque adſtricta virgo quaedam laude pietatis excellens e gente Paolſanta, quae ut puerulum vidit, patri ominata eſt illum Romana purpura illuſtrem fore. Quod praedictum facile obtinuit fidem, non ſolum quia

non ſine aliquo inſtinctu inflatuque divino factum eſſe putabatur, ſed etiam quia non levi confirmabatur conjectura. Elucebat enim in puero indoles ad virtutem magna, quae ſumma omnia atque praeclara portendere videbatur. Politioribus ſtudiis, ut primum per aetatem licuit, viris e Societate Jeſu magiſtris uſus, operam adeo diligentem, tantoque cum progreſſu dedit, ut induſtriam laudarent omnes, ingenium admirarentur. Nec minori laude, cum ſe ad philoſophiam contento curſu tranſtuliſſet, in ea verſatus eſt, ſecutus Peripateticos. Tali modo, quaſi gradu quodam atque aditu ad ceteras facultates jacto, Piſas proficiſci meditabatur, ut ibi juri civili & pontificio ſtuderet. Sed repente conſilium abjecit, ut ſe totum Deo voveret, eam ratus eſſe praeclaram beate vivendi & ſimplicem & directam viam, quae vix rerum humanarum fluctibus alluatur. Itaque Feſulas ad S. Dominici coenobium ſe contulit, ibique IX. Kalend. Martias anno MDCCVIII., cum ageret ſeptimum & decimum aetatis annum, in Praedicatorum Familiam cooptatus eſt, nomine ſibi impoſito Ig-

Digitized by Google

ſephi Auguſtini, cum antea Auguſtinus Franciſcus appellaretur. Annum ſolidum cum tiro ita vixiſſet, ut facile proſpicere collegae ejus poſſent, qui veteranus aliquando futurus eſſet, incredibili eorum omnium voluntate ſuam Familiae, cui nomen dederat, perpetuo obſtrinxit fidem. Florentiam inde miſſus ad excolenda in coenobio S. Marci rerum divinarum ſtudia, tantam in his operam collocavit, ut non ultra ternas vel ad ſummum quaternas noctis horas quieti concederet. Praeſertim vero his temporibus verſatus eſt in legendis SS. Patrum operibus, cognoſcendisque hiſtoriae Eccleſiaſticae monumentis, videbaturque jam ab adoleſcentia perfectum quiddam atque abſolutum hoc in genere attigiſſe. Neque illud eſt praetereundum, quod nunquam ſe ad legendum conferebat, quin prius, ſecutus ſplendidiſſimum illud non modo ſuae Familiae, ſed etiam Catholicae Eccleſiae lumen Thomam Aquinatem, preces quaſdam diligenter adhibuiſſet. Quae aliaque multa ſincerae pietatis ſigna cum effugere non poſſent oculos ſuorum, illud fiebat, ut non minori apud illos eſſet

opinione ſanctitatis, quam doctrinae. Non poſt multo, quam ſacerdos eſt factus, ſuſcepit munus docendi; docuitque eodem in coenobio S. Marci philoſophiam primum, ſatis quidem docte & perite, mox theologiam tanta nominis ſui commendatione, tantaque auditorum frequentia, ut magna adhuc memoria ſit ejus magiſterii. Etenim non exſuccum quidpiam exhibebat auditoribus ſuis, ſed plenum ac perfectum, argumentorumque vi variaque eruditione animos & veritate percellebat, & ſingulari voluptate perfundebat. Sed tamen adhuc Urſii fama exiguis continebatur finibus; qui quidem, multis poſtea ab eo ſcriptis libris, magniſque doctorum virorum de iis judiciis, ſic amplificati ſunt, ut ipſe non minus fuerit apud exteros nobilis, quam apud ſuos fuiſſet. Eſt Florentiae *Melani*, quod vocant, *Sodalitium* ad S. Jacobi. In eo ſtatis diebus coetus habebantur illuſtrium aliquot civium Florentinorum, cum quibus una adeſſe, deque divinis rebus, rectaque inſtitutione morum familiari ſermone colloqui unus aliquis conſueverat coenobii ad S. Marcum alumnus. Id mu-

nus cum Urſio obtigiſſet, accidit ut aliquando ſermonem inſtituerit de mendacio, docueritque quam illud eſſet indignum non ſolum orthodoxo, ſed etiam honeſto quolibet homine. Cui e ſodalium unus: *Valde tibi aſſentior illud, quod a te dictum eſt; ſed velim mihi perſuaderi, non extare, ut aliqui exiſtimarunt, & in his Carolus Ambroſius Cataneus, legem quamdam hominum conſenſu ſtatutam, quae verbis interdum omnem adimit ſenſum, ſic ut* eſt, & non eſt *deſinant eſſe notae affirmationis & negationis, nihilque ſonent, quando ex proditione veri naſci oportet grave aliquod damnum, puta vitae, rei, atque exiſtimationis.* Hanc ſententiam paucis tum verbis confutavit Urſius; ſed mox accuratius & copioſius auctoritatibus, exemplis & rationibus conquiſitis, oppugnandam eſſe putavit. Librum ergo confecit, ediditque Romae anno MDCCXXVII. quo contendit legem illam ignoraſſe veteres Philoſophos & Eccleſiae Patres, e quorum ſcriptis, ac praeſertim Auguſtini multa ſumit, quibus in hac quaeſtione teſtimoniis utatur: clara & illuſtria Martyrum exempla in medium profert, qui mortem

oppetere maluerunt, quam veritatem laedere: hoc exigere Dei Numen, naturaeque rationem dicit, ut verba declarent animi noſtri ſenſus, proptereaque non eſſe in poteſtate hominum, excogitato *materiali*, ut vocant, verborum uſu, divinam hanc naturalemque legem diſſolvere. Haec aliaque hujusmodi bono in lumine poſita, & haud impolite patrio ſermone explicata, ſatis multa eſſe putabat Urſius ad ſententiam ſuam propugnandam. Quoniam vero non defuere, qui illa conati ſunt invadere, non dubitavit iterum in arenam deſcendere; editoque in vulgus altero libro, ut ſua magis magisque confirmaret, & quae contra dicebantur dilueret, excitatae de ſe expectationi cumulate ſatisfecit. Sed non propterea alterius partis propugnatores ſiluere. Cumque horum neſcio quis epiſtolam vulgaſſet, quae maximam apud eosdem conſecuta fuerat celebritatem, hanc continuo adortus eſt Urſius, oppoſuitque ei *Demonſtrationem* quamdam *Theologicam*, in qua eſt ſumma quaedam continuatio serieſque argumentorum, ut aliud ex alio nexum, & omnia inter ſe apta colligataque videantur,

Inter haec ſiquid incurreret ſubſecivorum temporum, quae homo, ſiquis unquam alius induſtrius, perire non patiebatur, id ille totum inſumebat in actis martyrii SS. Perpetuae, Felicitatis, Sociorumque illuſtrandis, vindicandiſque iisdem Sanctis Martyribus a Montaniſmi nota, quam Samuel Baſnagius, plaudentibus Actorum Lipſienſium Scriptoribus, illis inurere ſtuduerat. Quod ſi laude dignos eos exiſtimamus, qui ſcriptis ſuis a Platone, Ariſtotele, Epicuro, Solone, aliiſque antiquitatis philoſophis criminum ſuſpicionem propulſarunt, quanto magis praedicandus eſt is, qui non inanis ac falſae, ſed ſolidae ac verae ſapientiae cultores propagatoreſque eximios, & unde tot, & tam praeclara ad nos dimanarunt exempla virtutum, defendendos ſuſcipit adverſus inimicorum calumnias? Urſius igitur librum elucubravit, ac typis commiſit an. MDCCXXVIII. in quo firme, eleganter ac copioſe comprobat horum Martyrum orthodoxiam, omneſque contrarias Baſnagii rationes labefactat. Cujus rei nullum certius afferre poſſum teſtimonium, quam ipſorum Lipſienſium adprobationem ac ferme retractationem,

quae conſequentibus eorum Actis vulgata eſt *.
In hoc ipſo libro haud pauca diſputantur contra Ruinartium & Dodwellum, qui negabant horum Martyrum Acta collegiſſe atque edidiſſe hominem e grege Montaniſtarum: deinceps diſſeritur de viſis, qua in re illud Urſius oſtendit, prioribus Eccleſiae ſaeculis Deum illa ſaepe ſectatoribus ſuis dediſſe ad occulta iis aperienda. Porro id cauſſa exigere videbatur, quoniam Baſnagius non leve ſe arbitrabatur ducere argumentum, cur ii Martyres dicendi eſſent Montani haereſi contaminati, ex iis, quae eosdem in ſomniis vidiſſe, atque praedixiſſe Acta narrant. Demum quaſi quamdam appendiculam operis eſſe voluit commentariolum Franciſci Caſtilionenſis de vita Beati Antonii Pedemontani, deque morte, quam is pro avita religione fortis occubuit exeunte ſaeculo XV; quod quidem Urſius notis illuſtravit. Sic enim ſe putavit de coenobio, in quo degebat, mereri optime, propterea quod Pedemontanus ejus alumnus fuerat, quodque tum ille, tum Caſti-

* Suppl. ad nov. Act. Erudit. Tom. II. ſect. 12.

lionenſis fuerant S. Antonino Florentino Archiepiſcopo conjunctiſſimi, quem coenobium ipſum in parentis atque inſtitutoris loco veneratur. Vix dum opus iſtud perfecerat Urſius, cum aliud eſt aggreſſus, ut probaret adverſus Martenium, Lupum, Petavium, Juveninium ac praeſertim Albaſpinaeum, Eccleſiam tribus primis ſaeculis minime denegaſſe reconciliationem iis, qui eſſent capitalium criminum rei. Videtur Urſius orbem omnium peragraſſe Eccleſiarum, quae ab Apoſtolis conditae fuerant, aut quae illarum erant ſoboles, ut ex earumdem monumentis graviſſima certiſſimaque in eam rem ſumeret teſtimonia. Nec vero ignorabat iis temporibus fuiſſe quoſdam in Africa & in Hiſpania tantae ſeveritatis in majoribus criminibus, ut iis, qui eorum culpa tenerentur, reditum in gratiam cum Eccleſia patere noluerint; ſed ajebat, unum aut alterum hujusmodi exemplum nihil valere contra morem illum ac diſciplinam ab Apoſtolis quaſi per manus Eccleſiae traditam, ita eſſe in ſontes homines animadvertendum, ut magnis condimentis lenitatis, atque miſericordiae ſeveritas mitigetur. Profecto in

hoc libro Urſius ſe praeſtitit theologum praeclara reconditaque eruditione atque doctrina. Cum vero non ſemel a re propoſitâ, opportune tamen ſemper, digreſſus fuiſſet, ut tempora conſtitueret quibus aut Marcio in Ponto & Aſiâ diſſeminaverit Cerdonis errores, aut Tertullianus Montani ſectator eſſe coeperit, libroſque ſuos vulgarit *de Corona Militis* & *de Pudicitia*, aut uterque Decius Urbem reliquerint, aut Illiberitana Synodus fuerit habita, tantam temporum ſcientiam oſtendit, ut huic rei in primis ſtuduiſſe videatur. Accidit interea, ut religioſi ii viri, quos idem ſodales contubernaleſque habebat, ſibi de more conſtituere vellent Praeſidem. Etſi permulti erant, quos aetas, rerumque uſus, & virtus doctrinaque commendabant, unus tamen Urſius cunctis ſuffragiis electus eſt, cum vix octavum & triceſimum ingreſſus eſſet aetatis annum. Quod ubi intellexerunt amici, venerunt ad eum gratulatum. Ille vero valde ſuam vicem ſe dolere dicebat, quod non ſatis virium ad hoc ſuſtinendum onus haberet, quodque neceſſe eſſet plurimum detrahi ſtudiis ac litteris ſuis.

Quae quidem indicio eſſe poſſunt, quam modeſte de ſe ſentiret, quantuſque in eo eſſet doctrinae amor. Sic autem muneri ſuo praefuit, ut omnes exiſtimarent quaſi lumen aliquod ſanctitatis elucere omnes actiones omniaque dicta ejus; quanquam ita comparatus erat, ut magis exemplo quam verbis homines ad virtutis amorem accenderet. Eo tempore in Familiam recepit coenobii Conſtantinopolitani nomine Thomam Mariam Mamachium, quae res magnae ei laetitiae fuit. Nam praeſentiebat quanto eidem Familiae is futurus eſſet ornamento; quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neque eum ſecus diligeret ac filium. In regendo coenobio licet omnem operam curamque ponere videretur Urſius, potuit tamen abſolvere quae paullo ante inchoaverat *de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Graecorum & Orientalium*. Fuit enim in Concilio Florentino magna Graecos inter & Latinos diſceptatio, num ad Euchariſtiam conficiendam praeter verba, quae Chriſtus adhibere Sacerdotes docuit, neceſſaria quoque eſſet S. Spiritus invocatio. Affirmabant Graeci, negabant Latini; poſtque diutur-

diuturnam pugnam eum tandem res exitum habuit, ut illi convicti atque veritatis vi coacti errorem ſuum deſeruerint. Sed non diu pax fuit, cum illum eumdem Graeci, facta ſeceſſione, inſtauraverint, quod ab illa gente in Latinos jamdiu conceptum inveteratumque odium cogitanti mirum videri minime debet. Illud potius mirandum quosdam noſtratum, & in his Ricardum Simonem & Antonium Auguſtinum Tuetteum, hac aetate extitiſſe, qui pene in Graecorum abierint ſententiam. Id aegre ferens Urſius eos confutare eſt aggreſſus. Confutationem autem ſic contexuit, ut excutiat & explicet plurima Latinorum ac praeſertim Graecorum Patrum loca atque teſtimonia, libros praeterea rituales Graecarum & Orientalium eccleſiarum, demonſtretque minime ex iis confici poſſe, ſicuti contendebant adverſarii, easdem eccleſias, tradita a majoribus diſciplina, ita invocaſſe Divinum Paracletum, ut viderentur in eo ponere abſolutionem perfectionemque Euchariſticae conſecrationis. Idem diligentiſſime expendit monumenta Concilii Florentini, quod cauſſae ſuae conducere arbitratus eſt; nihil-

que earum rerum omittit, quae hunc librum perfectum expletumque omnibus ſuis numeris & partibus efficere poſſint. Vix illum Urſius abſolverat, cum anno ſecundo poſtquam coenobio praeeſſe coeperat, Romam a Cardinali Nerio Corſinio accerſitus eſt; ut theologi locum apud eum teneret. Id illi pergratum atque jucundum fuit, quod vehementer ad ſtudiorum ſuorum rationem naturamque ſuam, quae prorſus ab omni praefectura abhorrebat, accommodatum arbitrabatur. Cardinali autem multis magniſque in rebus, eo praeſertim tempore, quo ejus patruus Clemens XII. Eccleſiae clavum tenuit, conſilio adfuit. Etenim ille neminem Urſio laude prudentiae fidelitatiſque anteferebat. Sed hoc in primis ad tanti viri laudem illuſtre fuit, quod idem Pontifex ſaepe eo non ſolum conſiliario, ſed etiam ſcriptore uſus eſt. Sunt in manibus quae juſſu illius exaravit (minora ſilentio praetermittimus) ut probaret, potuiſſe eum jure privare Cardinalem Nicolaum Coſciam Archiepiſcopatu Beneventano; item ea, quae de jurejurando, quod in regno Neapolitano ab Epiſcopis exigebatur,

(fidelitatis appellant) conſcripſit. His mandatis confectis, totum ſe convertit ad contexendas *Diſſertationes theologicas de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti, & de Chriſmate Confirmatorio*. Noverat enim theologos haud paucos magni nominis fuiſſe ſaeculo ſuperiori, & eſſe etiam hoc noſtro, qui Baptiſmum ab Apoſtolis in Chriſti nomine nunquam fuiſſe datum defenderent, atque S. Thomae contra ſentientis opinionem nec veram nec veriſimilem dicerent: & illud quoque noverat, Samuelem Baſnagium graviſſimo captum fuiſſe errore, ut arbitraretur Chriſmatis uſum in Confirmationis Sacramento ignoraſſe Eccleſiam primis temporibus, idque in nos ab Valentinianis derivatum. Priores ſic eſt adortus Urſius, ut ſententiam Aquinatis ſatis eſſe probabilem erudite atque ingenioſe magis quam vere contenderit; alterum vero tam eſt graviter inſectatus, ut plane convicerit impietatis. Quibus in rebus cum eſſet occupatus, ſumma Clementis XII. voluntate factus eſt *Theologus Caſanatenſis*. Bini autem hoc nomine Romae ſunt ad Minervae ex familia Praedicatorum ſcientia clari viri, qui

inſtituto Hieronymi Cardinalis Caſanatae e ſuperiori loco mane quidem alter, alter veſperi ſtatis diebus S. Thomae *Summam* rerum divinarum ſtudioſis Romae interpretentur. Ex quo factum eſt, ut Urſius non ſolum honeſto, ſed etiam grato fungeretur munere. Ita enim erat in illum Doctorem animatus, ut omnes cuperet ad illius diſciplinam adjungere. Interim Romae nuntiatur, in Gallia typis impreſſam fuiſſe Bajaniſmi hiſtoriam a Joanne Baptiſta Duſcheſnio conſcriptam, hacque infamari Petrum Sotum hominem e Dominicana familia praeclariſſimum, quaſi ipſe jeciſſet initia & tanquam ſemina, unde errores Baji procreati fuiſſent. Id ut audivit Thomas Ripollius, qui eidem Familiae praeerat, Urſio mandavit, ut libro falſas Duſcheſnii accuſationes refelleret. Quod quidem illi facile fuit. In promptu enim habebat quae Pontifices MM., Tridentina Synodus, Cardinales, Epiſcopi, Principes, Scriptoreſque magni nominis Soto impertierant praeconia atque teſtimonia hominis pietate, ſtudio Catholicae Religionis, fide, integritate, atque doctrina praeſtantiſſimi. Quae poſtquam

Digitized by Google

expoſuit Urſius, tranſit ad examen librorum, ac praeſertim *Epiſtolaris Diſſertationis cum Ruardo Tappero de conciliatione gratiae ac liberi arbitrii*, neque ullum eſſe in iis locum probat, ex quo jure meritoque Soto conflari invidia poſſit; contra vero eſſe multa, quae plane adverſantur erroribus, quorum illum hiſtoricus inſimulaverat. Neque ſolum pro aliis, ſed etiam pro ſe ipſo his temporibus pugnavit Urſius. Etenim Drouvenius impotentis ingenii Gallus adeo in illam, quam paullo ſupra memoravimus, *de Baptiſmo* diſſertationem ſtilum acuerat, ut non tam eam refellere, quam in ejus auctorem furere videretur. Huic Urſius ſic reſpondit, ut ſe injuriis prorſus abſtinuerit, nihilque aliud egerit, niſi ut quidquid ex Scriptura, ex Patribus Eccleſiarumque monumentis erui poſſet ad defendendam ſuam & Aquinatis ſententiam, in medium proferret. Haec atque alia (nam edidit quoque Latinam orationem de laudibus B. Catharinae de Ricciis) quae ad haec uſque tempora typis mandaverat ingenii monumenta, magnam illi famam contulerant, ut jam videretur in theologorum nu-

mero, qui Romae florebant, principem locum tenere. Itaque nemini dubium erat brevi illum in ampliſſimo dignitatis loco collocatum iri. Primus ei gradus fuit anno MDCCXXXVII., quo anno a Secretis coepit eſſe ejus Magiſtratus, cujus munus eſt interdicere lectionem librorum, in quibus ſe ſe prodit ſcribendi licentia, nequid Chriſtiana reſpublica detrimenti capiat. Quo auctus munere ſtatim contendit Urſius, ut Pontifici optime de ſe merito Eccleſiaeque voluntatem ſtudiumque ſuum magis magiſque declararet. Cujus rei amplam eidem occaſionem dedit opus Jacobi Benigni Boſſuetii, quod juſſu Ludovici XIV. ad propugnandam inſignem *de poteſtate Eccleſiaſtica Declarationem* an. MDCLXXXII. in Comitiis Cleri Gallicani editam conſcripſerat, quodque Epiſcopus Trecenſium ejusdem Boſſuetii fratris filius, mortuo jam auctore, anno MDCCXXX. Luxemburgi typis imprimendum curaverat. Auctoris celebritas, ubertas, varietas, copia argumentorum, quibus idem evincere nitebatur jura Sedis Apoſtolicae in definiendis Fidei controverſiis ſuis contineri finibus, iiſque non

admodum amplis, illud effecerant, ut permulti eſſent tum apud Gallos, tum apud Italos, qui palam dicerent, Boſſuetium iſtorum jurium defenſoribus non modo ſpem victoriae, ſed etiam voluntatem defenſionis abſtuliſſe, ejuſque opus tanquam Gallicanae Eccleſiae Palladium habendum. Quod judicium falſo ne an vere prolatum fuerit ii intelligent, qui legent libros Urſii, quibus ſe ſe illi ſcriptori oppoſuit. Profecto fortiter is cum tanto adverſario bellum geſſit. Nam omnia, quae conferri poterant, in illum contulit tela; contraria ſic excepit, ut pleraque leviora atque hebetiora eſſe oſtenderit, ac multa in ipſum adverſarium retorſerit; & ſiqua res fuit quae premeret vehementius, non modo non abjecit, ſed ne rejecit quidem ſcutum, ſic ut nunquam ceſſiſſe, contra ſuperiorem plerumque diſceſſiſſe haud injuria a doctis quibusdam viris judicatum fuerit. Longum eſſet de omnibus rebus, quae in his libris continentur, dicere. Itaque dixiſſe ſufficiat: Urſium tribus prioribus voluminibus, quae ſunt *de irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei controverſiis judicio*, multa

enucleaſſe ſacrorum librorum, Patrum, aliorumque graviſſimorum ſcriptorum loca, atque multo plura expoſuiſſe Conciliorum decreta, ut oſtenderet, Eccleſiam ab ultimis uſque temporibus conſenſiſſe (mirum putaſſe Boſſuetium ex Eccleſiae conſenſu ſe quoque maximum cauſſae ſuae praeſidium petere poſſe) de hoc *irreformabili judicio*: poſtremo vero operis volumine, quod inſcribitur *de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas & earum Canones poteſtate*, probare nititur Romanos Pontifices minime Conciliorum legibus obligari, contra ea leges Conciliorum Pontificum juri ſubjectas eſſe. Ad haec addi quoque illud poteſt, eumdem multas in his libris collegiſſe rationes atque teſtimonia ad refellendos viros doctiſſimos Antonium Arnaldum & Petrum de Marca, quorum alter acerrime propugnaverat haud poſſe revocari in dubium vim, auctoritatem, pondus decretorum Concilii Conſtantienſis; alter novam propoſuerat rationem conciliandi conjungendique libertatem ſuffragiorum, quam in Oecumenicis Conciliis Epiſcopi habere debent, cum ſumma Pontificis poteſtate. Pontifici enim eas tan-

tummodo partes dabat, quas Romani Imperatores in condendis Senatus conſultis obtinere ſolebant. Sic Urſius magna doctrinae & eruditionis copia cum demonſtrare conatus eſſet, nullis poſſe terminis definiri jus Romanorum Pontificum in praeſcribendis, vel declarandis iis rebus, quae ad Religionem maxime pertinent, aliud ſumpſit opus in manibus, quod non minorem & ſibi laudem & Chriſtianae reipublicae utilitatem peperit. Hiſtoriam Eccleſiae, quam Gallice ſcripſerat Claudius Fleurius, neſcio quis in Italicum converterat, & Venetiis typis imprimere inſtituerat. Id ut Romam allatum eſt, quod detrimentoſum eſſe exiſtimabatur (nam multis in locis ſcriptor ille animum haud mediocriter juribus Romanorum Pontificum infenſum patefecerat) ſi in omnium manus illa perveniret, quaeritur quid facto opus ſit. Conſulentibus Urſius reſpondit, dandam eſſe operam, ut coepta impreſſio intermitteretur; quo vero Italorum utilitati ac decori proſpiceretur, novum opus conficiendum. Hoc conſilium majori parti cum placuiſſet, ille rogatus eſt, ne gravaretur hoc in ſe onus ſuſci-

pere. Tum ille: *intelligere ſe ſe quanti res eſſet operis ac laboris; hoc tamen eſſe in Chriſtianam rempublicam animo, ut nihil ejus cauſſa recuſaret.* Hac re conſtituta, nullam interponendam eſſe moram putavit, quin ad eam conficiendam ſe pararet; quanquam non multis ille egebat adjumentis. Habebat enim inſculpta in animo monumenta temporum, locorum, hominum geſtarumque rerum; mirabilis in eo erat cognitio Conciliorum atque Patrum, in quibus legendis omnem triverat aetatem; judicio acri & recto praeditus erat, ut poſſet non ſolum conſilia, acta & eventus rerum ordine declarare, ſed etiam tuto ac vere exponere quid probandum rejiciendumque eſſet. Siquid eum deficiebat, erat perfecta Etruſce ſcribendi laus, ad quam obtinendam omne ſuum ſtudium convertit. Nam optimos ſcriptores diu noctuque legendo, e quibus germana quaedam locutio exſurgere ſolet, nativum illum colorem, quo ſermo Etruſcus imbuitur, mirifice expreſſit. Ut vero ſtilum exercitatione acueret, libros quos Latine *de Pontificis Maximi irreformabili judicio poteſtateque* fecerat, patrio ſermone in

epitomen contraxit; aliudque opus item Etruſce conſcripſit, in quo originem ſubtexuit dominatus, quem habent Pontifices Maximi in civitates atque oppida, quae olim ad Romanam Provinciam & Exarchatum Ravennae pertinebant; & ex quo perſpici poteſt, quam eximia fuerit erga eosdem Pontifices liberalitas ac ſtudium Gallorum Regum Pipini & Caroli Magni. Sic Urſius cum continuis ſe frangeret laboribus ac vigiliis, coepit incommoda eſſe valetudine. Cujus rei cauſſa cum ſibi aliquandiu a ſeverioribus ſtudiis temperare coactus fuiſſet, ne prorſus tempus amitteret, dedit ſe ad convertendas e Gallico in Italicum vitas primorum diſcipulorum S. Dominici, virorumque aliorum illuſtrium ordinis Praedicatorum, quas eleganter explicaverat Antonius Tourronius. His ſtudiis atque exercitationibus conſecutus eſt Urſius genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam aequabili profluens; ſcribendique elegantiam adeo ſuam effecit, ut bene multas conderet hiſtoriae ſuae paginas dulces atque nitidas, quin aut in ſcribendo haereret, aut neceſſe haberet verbum ullum

mutare. Quo factum eſt, ut cum anno MDCCXLVII. primum edidiſſet ejusdem hiſtoriae volumen, avide illud omnes arripuerint, ac Florentina Academia, cujus omnis cura verſatur in excolendo puro & caſto Etruſce ſcribendi genere, ſeparandoque pollinem a furfure, grave teſtimonium auctori impertierit elegantiſſimi ſcriptoris, & illum inter ſuos cooptaverit. Praeſertim vero laudibus elata ſunt quae praefatus eſt de ratione Eccleſiaſticae hiſtoriae conſcribendae, quae quidem oſtendunt non modo perelegantem ſcriptorem, ſed etiam doctum & in primis eruditum. His ille rebus alacrior factus ad inſtitutum opus perſequendum, ita illud urſit reliquo vitae curſu, ut neque corporis imbecillitas, neque ingraveſcens aetas, neque dignitates, quibus deinde auctus eſt, neque onera, quae has comitabantur, induſtriam illius retardaverint. Nam anno MDCCXLIX. factus eſt a Benedicto XIV. Sacri Palatii Apoſtolici, ut loquuntur, Magiſter, & decennio poſt, ſtudioſiſſime inſtante Cardinali Nerio Corſinio, a Clemente XIII. in ampliſſimum Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus. At-

que utinam ei diutius vita frui licuiſſet, ac magis brevitati in hac contexenda hiſtoria conſulere voluiſſet. Sic enim haberemus non paucorum ſaeculorum, ſed abſolutam, aut ſaltem magna ex parte perfectam hiſtoriam. Praeterquamquod, ut bene apud Ciceronem dicitur, nihil eſt in hiſtoria pura & illuſtri brevitate dulcius. Sed ſi cauſſam quaerimus, cur Urſius ſaepe redundans & ſuperfluens extiterit, hanc fortaſſe veram reperiemus, quod omnibus familiaris eſſe voluerit, atque vulgi in primis utilitati ſervire. Profecto legitur ab omnibus opus hoc, cujus rei non mediocre eſt illud indicium, quod paucis annis ter typis impreſſum eſt. Hoc quoque in ejusdem operis laude ponendum, quod Hiſpania patrium in ſermonem converſum illud ſuum fecit, quodque in Germania non defuere, qui idem magna ex parte Latine reddiderunt. Primum & viceſimum volumen inchoaverat Urſius; cumque hiſtoriam ad tempora Gregorii Magni, quod vehementer optaverat pro ſummo ſuo in illum Pontificem ſtudio atque cultu, perduxiſſet, ab eoque depuliſſet falſam aſſentationis criminationem,

in morbum incidit, quem neque mortiferum, neque gravem initio medici judicarunt. Hi tamen veriti ingraveſcentem aetatem, debilitatamque valetudinem aſſiduis ac diuturnis legendi, meditandi ſcribendique laboribus, aegroto imperarunt, ut ad omnem eventum ſacris ſe muniret. Quibus cum libentiſſime paruiſſet, eſſentque omnes magna in ſpe fore, ut brevi convaleſceret, ſubito eum febris corripuit, quam cum gravius peripneumoniae genus conſecutum fuiſſet, horarum ſpatio non amplius octo mortem cum vita (fidenter ſane, ut ſolent ii, qui optimae mentis conſcientia ſuſtentantur) commutavit. Extremo vitae tempore perbreve teſtamentum fecit, quo rem familiarem domeſticis, bibliothecam Florentino S. Marci coenobio, ſacram ſupellectilem certis quibusdam templis reliquit. Eidem morienti adfuit Joannes Bottarius, quocum a condiſcipulatu vixerat conjunctiſſime, & quocum ei erant omnia, hominique doctrina praeſtanti, quod inchoaverat, XXI. hiſtoriae volumen perficiendum commiſit: quod ni vellet, ederet ſaltem quae pro defenſione S. Gregorii ſcripſerat. Talis fuit vir,

ut ſi mores ſpectes, nihil prae ſe alſi grave, probum purumque tulerit; ſi doctrinam, dogmatum Chriſtianorum defenſor egregius ac vindex judicari poſſit. Cuſtos perfectioris diſciplinae ſeverus; ſed ita temperatis moribus, ut ſumma ſeveritas ſumma cum humanitate jungeretur. Ex quo fiebat, ut facillimi ad eum eſſent aditus, atque nemini opis ejus indigenti, ſi modo illam praeſtare poſſet, non libentiſſime & promitteret & concederet. Veritatis adeo diligens, ut nihil ultra. Parce uti conſueverat verbis, quod indicium erat hominis caeleſtia reſque alias altiſſimas perpetuo contemplantis. Tanta eum cura occupabat ſtudiorum ſuorum, ut interdum videretur ſui oblitus, atque ſaepe cogeretur in iis rebus gerendis, quae ſuorum munerum erant, uti fidis peritiſſimiſque adjutoribus. Ut laudis, ita & reprehenſionis, omniumque rerum humanarum fuit contemptor eximius, in quo apicem virtutis ſitum eſſe facile dixeris. Illi juſta funera confecta in templo S. Mariae ad Minervae; corpus vero deportatum ad S. Sixti, ibique conditum

in ſepulcro, in quo a Petro Franciſco Fogginio Urſii amiciſſimo hoc ſcriptum eſt elogium.

D. O. M.

JOSEPH AVGVSTINVS VRSIVS
FLORENTINVS
ORDINIS PRAEDICATORVM
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS TIT.
S. SIXTI.
INTEGRITATE MORVM CONSPICVVS
ET EDITIS SCRIPTIS PRAECLARVS
HIC REQVIESCIT IN PACE
VIXIT ANNOS LXIX. M. I. D. III.
OBIIT EIDIBVS JVNIIS A. S. MDCCLXI.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

Diſſertazione dogmatica e morale contro l' uſo materiale delle parole &c. opera del P. L. Fr. Giuſeppe Agoſtino Orſi della Congregazione di S. Marco di Firenze dell' Ordine de' Predicatori. Dedicata alla S. di N. S. Bened. XIII. del medeſimo Ordine. In Roma 1727. nella Stamperia di Girolamo Mainardi in 4.

La cauſa della verità ſoſtenuta contro l' Anonimo Apologiſta del P. Carlo Ambrogio Cattaneo della Compagnia di Gesù: opera del Rev. P. L. Fr. Giuſeppe Agoſtino Orſi dell' Ordin. de' Pred. In Firenze 1729. in 4.

Dimoſtrazione Teologica, colla quale ſi prova, che ad effetto di conciliare i dritti della veracità colle obbligazioni del ſegreto, nè ſi può, nè ſi deve ricorrere ad alcuna di quelle leggi, che alcuni moderni Teologi all' umana repubblica attribuiſcono, ma che deeſi ſtare alle regole da' SS. Padri Agoſtino e Tommaſo per un tal fine preſcritte: opera del ec. dedicata alla S. di N. S. Benedetto XIII. In Milano 1729. per Giuſeppe Richino Malateſta in 4.

Diſſertatio apologetica pro Ss. Perpetuae, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia adverſus Samuelem Baſnagium, Auctore R. P. Fr. Joſepho Auguſtino Orſi O. P. Florentiae ad S. Marcum Sac. Theologiae Lectore. Accedit Franciſci Caſtilionenſis Martyrium Antonianum, ſeu Beati Antonii de Ri-

polis Ord. Praed. ab eodem Orſi notis illuſtratum. Florentiae 1728. typis Bernardi Paperini in 4.

Diſſertatio hiſtorica, qua oſtenditur Catholicam Eccleſiam tribus prioribus ſaeculis capitalium criminum reis pacem & abſolutionem neutiquam denegaſſe, & plures aliae incidentes quaeſtiones ad eorumdem temporum chronologiam Eccleſiaſticam pertinentes quibusdam digreſſionibus data opera examinantur; Auctore &c. Mediolani 1730. apud Joſephum Richinum Malateſtam in 4.

Diſſertatio theologica de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Graecorum & Orientalium, Auctore &c. Mediolani 1731. apud Joſephum Richinum Malateſtam in 4.

Diſcorſo ſopra il giuramento preſtato dai Veſcovi del Piemonte alla Maeſtà del Re di Sardegna Carlo Emanuele. *Extat in fin. Tom. I. Part. II. libri, cui titulus* = Delle ragioni della Sede Apoſtolica nelle preſenti controverſie colla Corte di Torino 1732 =

Voto teologico intorno alle cauſe, per cui uno può eſſere privato del Veſcovato.

De Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti; & de Haereticis, qui Baptiſmi formam olim adulterarunt, Diſſertatio hiſtorica in duas partes diviſa, Auctore F. Joſepho Auguſtino Orſi Ord. Praed. Cathedratico Caſanatenſi, & Sac. Cong. Indicis Conſultore. Mediolani 1733. apud Joſephum Richinum Malateſtam in 4. *In hoc libro extat quoque*

Diſſertatio hiſtorico-theologica de Chriſmate Confirmatorio.

Digitized by Google

Oratio de B Catharina de Ricciis Moniali Tertii Ordinis S. Dominici habita Romae in Templo S. Mariae ſuper Minervam ad Eminentiſſimos & Reverendiſſimos Cardinales a F. Jo. Auguſt. Orſi Ordin. Praed. Romae 1733. ex typographia Hieronymi Mainardi in 4.

Fr. Joſephi Aug. Orsi O. P. e Congregat. S. Marci S. theologiae Mag. de Petri a Soto ejusdem Ordinis, & Judoci Raveſteyn de concordia gratiae & liberi arbitrii cum Ruardo Tappero epiſtolari diſputatione, liber apologeticus, quo Soti doctrina a recentis hiſtorici cenſuris adſeritur. Romae 1734. typis Hieronymi Mainardi in 4.

Vindiciae diſſertationis de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti a Sorbonici Doctoris objectis. Florentiae 1735. ex typographia Petri Cajetani Viviani in 4.

Fr. Joſephi Auguſt. Orſi O. P. Sacr. Indicis Congregationi a Secretis de irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei controverſiis judicio adverſus quartam Cleri Gallicani propoſitionem ab Illuſt. Jo. B. Boſſuetio Meldenſi Epiſcopo propugnatam Tom. I. P. I. Romae 1739. Typis Sacrae Congregat. de Propaganda Fide in 4.

Tom. I. Pars II. *Eumdem prae ſe fert titulum*. Accedit diſſertatio circa modum ab illuſtriſſimo Petro de Marca propoſitum conciliandi ſummam ejusdem Romani Pontificis auctoritatem cum libertate ſuffragiorum in Synodis Oecumenicis.

Tom. II. *Similem omnino prioribus habet titulum*.

F. Joſephi Auguſtini Orſi O. P. Sacr. Ind. Cong.

Digitized by Google

a Secretis de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas & earum Canones poteſtate. Romae 1740. Typis Sac. Cong. de Propaganda Fide. *Extat in fine hujus voluminis Diſſertatio, qua Eccleſiaſticae Monarchiae forma, ſeu ratio explicatur, unde clare ac dilucide conſtat, ſit ne Romanus Pontifex Eccleſiae legibus ſubjectus, nec ne ſit, quove ſenſu id affirmari vel negari commode poſſit.*

Della infallibilità e autorità del Romano Pontefice ſopra i Concilj Ecumenici: Riſtretto di un' opera ſopra lo ſteſſo argomento di F. G. A. Orſi dell' Ord. de' Pred. S. D. S. C. D. I. Tom. I. e II. in Roma 1741. Nella Stamp. de' Pagliarini in 12.

Della origine del dominio e della ſovranità de' Romani Ponteſici ſopra gli ſtati loro temporalmente ſoggetti, Diſſertazione di F. G. A. Orſi dell' Ord. de' Pred. S. D. S. C. D. I. in Roma 1742. appreſſo i Fratelli Pagliarini in 12.

Riſtretto delle vite dei primi diſcepoli di S. Domenico ſcritto in lingua Franceſe dal P. Antonio Touron dell' Ord. de' Pred., e tradotto nell' Italiana favella da un Religioſo del medeſimo Ordine. In Roma 1744. appreſſo Niccolò e Marco Pagliarini in 8.

Iſtoria degli uomini illuſtri dell' Ordine di S. Domenico ſcritta in lingua Franceſe dal R. P. Antonio Touron, e tradotta nell' Italiana favella da un Religioſo del medeſimo Ord. T. I. in Roma 1745. Nella Stamp. di Pallade app. Niccolò e Marco Pagliarini.

Della ſtoria Eccleſiaſtica deſcritta da F. Giuſeppe Agoſtino Orſi dell' Ord. de' Predicatori &c. Roma nella Stamp. di Pallade Tom. XXI. in 4. e in 12.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Petro FranciscoIgginio

S. P. D.

Perſaepe mihi cogitanti illa tempora, quibus Romae fuimus una, non ſine grati animi ſenſu ſolent in mentem venire ſtudia tua, & conſilia plena amoris & prudentiae; quibus me adoleſcentulum ad praeclara ſuſcipienda quotidie excitabas, & quam ſollicito animo mihi praeſto fueris, ut fidem, quam Nerio Cardinali Corſinio obligaveram ſcribendae vitae illius patrui Clementis XII., liberarem. Sollicitum autem te habebat cogitatio cum officii, tum etiam periculi mei, quia verebare, ne aeſtu quodam non inſolitae adoleſcentibus gloriae abreptus incurrerem in reprehenſiones hominum, qui me parum famae, parum pudori meo conſuluiſſe judicarent. Quis enim eſt qui ignoret, quanti operis, quantae prudentiae doctrinaeque ſit hiſtoriam ſcribere? Me ſane plurimum illius facti poenitet; nec ſine moleſtia cogitare

Digitized by Google

poſſum, noſtra eveniſſe culpa, ut de praeſtantiſſimi Pontificis laudibus aliquid potius a me in illa hiſtoria detractum, quam additum eſſe videatur. Quid quaeris? Nihil boni in ea eſſe arbitror, niſi quod a te profectum eſt, mi amiciſſime Foggini; pro quo aliiſque tuis beneficiis deſpero me tibi reſpondere poſſe, niſi forte ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Quoniam vero meae rationes ita tulerunt, ut a te diſcederem, nunquam tamen diſceſſi ab amantiſſimis ſapientiſſimiſque conſiliis tuis, quorum majorem in dies ſingulos fructum voluptatemque capio. Quapropter illud cave dubites, quin in ſcribendis vitis Henrici Cardinalis Norisii & Jo. Laurentii Bertii, ut te velle mihi ſignificaſti, utque lex hiſtoriae jubet, omnia ea in lucem ſim prolaturus, quae pertinent ad eas declarandas, quaeque oſtendere debent, quam immortales ii viri potentes fuerint exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, quod Apoſtolus praecipuum Chriſtiani doctoris inſtitutum eſſe ait, arguere. Quae dum a nobis proferentur, ſi qui fortaſſe erunt, quos legitima hiſtorici libertas offendat, illos ſcire oportet nos eam ingreſſos eſſe vitae rationem, ut

quae vere atque honeſte dici poſſunt, fortiter ac libere dicere ne vereamur, nihilque praeter dedecus metuendum nobis eſſe ſtatuerimus. Sed quae ſubeſſe poteſt culpa in commemoranda virtute ac gloria ſummorum virorum, qui conſtanter & fortiter pugnarunt pro defensione illius inſtitutionis ac diſciplinae, quae nullo non tempore religione teſtata, veritateque fundata reperta eſt? Pulchrum eſt, ut ait ille, bene facere reipublicae, etiam bene dicere haud abſurdum eſt; & eos, qui fecere, & qui facta aliorum ſcripſere, tametſi haudquaquam par, gloria conſequitur. Equidem cum ſoleo conſiderare plurimos ex Auguſtiniana familia, tanquam ex equo Trojano ſtrenuos Duces, exiiſſe, qui rem theologicam atque Chriſtianam ethicam graviter tractarunt, & a pravarum opinionum corruptela liberarunt, facile in eam deſcendo ſententiam, tantum doctrinae lumen ad ipſos profluxiſſe ex illorum Patre & Magiſtro Auguſtino, quem veluti ſolem accendit Deus, ut dux eſſet & moderator reliquorum luminum, mens, ut ita dicam, Eccleſiae; tantaque magnitudine, ut cuncta ſua luce luſtraret atque compleret. Bone Deus! Qui quantusque vir fuit Aegidius Romanus Bi-

Digitized by Google

turicenſium Epiſcopus, *quo poſt Augustinum neminem plura*, *neminem accuratius ſcripſiſſe affirmat Sabellicus! Nonne ſummorum virorum conſenſu omnes ferme veteres Scholaſticos ſuperaſſe videtur in exponenda Auguſtini doctrina Gregorius Ariminenſis? Quam proxime huic accedunt Thomas de Argentina*, *Gerardus Senenſis*, *Paullus Venetus*, *aliique Scholaſtici*, *qui certe non ex eorum numero fuerunt*, *quorum tota de re theologica tractatio eſſe ſolebat partium ſtudium*, *diſſidium*, *rixaeque pertinaces*, *ut magis quam verum invenire*, *adverſarium convincere ſe velle oſtenderent*, *ſed qui de Deo*, *rebuſque divinis apte*, *prudenter*, *docte e litteris*, *inſtitutiſque ſacris ratiocinati ſunt? Quam illuſtri laude celebratus ſemper ab omnibus fuit Hieronymus Seripandius Cardinalis*, *ac in Tridentino Concilio Pontificius Legatus*, qui, *ut Donius ſcribit*, linguae Graecae & Hebraicae ac divinarum humanarumque ſcientiarum cognitione ad miraculum imbutus in ſe omnium admirationem convertit? *Quis ſe exaequavit Chriſtiano Lupo in illuſtrandis exponendiſque ſacrorum Conciliorum Canonibus*, *rectiſſimaque morum doctrina tradenda? De Noriſio*, *quem Benedictus XIV.*

Digitized by Google

appellare ſolitus erat Romanae Eccleſiae ſplendidiſſimum lumen, *nihil nunc dico; alius enim erit dicendi locus. Praetereo Onuphrium Panvinium, non quod is excellens theologus minime fuerit, ſed quia aeternam gloriam ex aliis operibus quam ex theologicis colligere maluit; praetereoque alios multos Auguſtinianae familiae illuſtres viros de ſacris literis optime meritos, ne his rebus tecum; qui eruditione doctrinaque praeſtas, pluribus differens, videar, ut eſt in veteri proverbio,* γλαῦκ' εις Ἀθήνας *mittere velle. Tot tantorumque virorum imagines Romae cum intueretur Bertius, cum ſepulcra, cenotaphia atque veſtigia contemplaretur, ubi quiſque habitare, ubi ſedere, ubi docere, ubi diſputare fuerat ſolitus, dicebat ſe totum inflammari ad illorum aequandam gloriam, & incredibili quadam delectatione perfundi. Movemur enim neſcio quo pacto locis ipſis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adſunt monumenta. Neque profecto inanis, aut ambitioſa fuit in Bertio illa aemulatio, ſed fructuoſa atque glorioſa. Nam licet rerum inventoribus multum debeamus, non minus iis debemus, qui ratione atque arte res inventas ad communem uſum accommodarunt,*

& qui, quae fuſe olim diſputabantur ac libere, ea articulatim preſſeque dicentes, lucem non parvam priſcorum inventis obſcurioribus attulerunt. Atque hac una in re tantam profecto laudem aſſecutus eſt Bertius, ut ſi eruditionem, ordinem, diſpoſitionem, perſpicuitatem, qua vel in rudium & inertium animos influeret, ſibi aſſumpſerit, videatur illa jure ſuo quodammodo vindicaſſe. Quae dum a me exponuntur, velim ſic exiſtimes, amicorum ſuaviſſime, me ita de theologicis rebus diſſerere quaſi hominem illarum non prorſus rudem atque ignarum, ſed qui plurimum abſit a doctrina & illis litteris tuis, quibus ſaepe verecundiorem me in loquendo facis. Quare mihi opus eſt iſto limato & polito judicio tuo, ut, ſi quid mihi excidit, quod minus conveniat iis rebus, de quibus Bertius ſcripſit, a te corrigatur, quod & veritatis amor, & tua cum Bertio ipſo conjunctio, & ſtudium curaque, quam ſemper de honore meo oſtendiſti, facile, ut confido, a te obtinebunt. Vale.

Piſis Kal. Maii MDCCLXXI.

Google

Joannes Laurentius Bertius.

Joannes Laurentius Bertius natus eſt V. Kal. Junias anno MDCXCVI. Seravetiae, quod eſt oppidum in Etruriae finibus poſitum non longe a Carferoniana, a qua Bertia familia, humilis illa quidem, ſed tamen honeſta, oriunda erat *. Parentes illi fuerunt Lucas Bertius, & Dominica Boncia e Valventoſo oppidulo Seravetiae proximo, quae filium ſeptimeſtrem ſe peperiſſe affirmabat. Tanta erat in puerulo infirmitas corporis, ut de illius vita prope deſperaretur. Adiit etiam in illa aetate extremum periculum. Nam cum domus ejus arderet fortuito incen-

* Haec in ſcheda Bertii manu ſcripta inveni. *Franciſcus Berti venit Seravetiam ex Caferonianae Provinciae montibus, ſcilicet e Rontan. Ex ipſo natus Laurentius an. 1592. Apr. 2. Ex Laurentio Joannes an. 1619.. Junii 7. Ex Joanne Lucas an. . . . Ex Luca ego & Laurentius frater meus aetate major optimae expectationis adoleſcens, qui obiit in Caferoniana Provincia, me adhuc puero: Franciſca item ſoror, & Julia ſoror altera.*

dio, ex eo ereptus per feneſtram fuit. In patria & in neſcio quo Carferonianae pago ita primam traduxit aetatem, ut quae in pueris videri ſolent virtutis ſcintillulae, in eo nullae apparerent, tantaque erat tarditas ingenii, ut vix legere didicerit. Dolens pater oleum & operam ſe perdidiſſe in filio educando, quodam die ſic ipſum alloquitur. Ego quidem nihil praetermiſi, quo te a tenebris ad lucem revocarem: ſed quoniam nulla laus te allicere potuit ad recte faciendum, nec metus ab inſcitia potuit revocare, ne exemplum tuum ceteris ſit perniciei, de duobus vitae generibus unum eligas oportet: aut militiae, aut religioſae alicui familiae, cui famulatum praeſtes, nomen tibi dandum eſt. Haeſit aliquantulum in re propoſita Bertius. Demum in Auguſtinianam familiam adſciſci poſtulavit, ejuſque habitu indutus eſt Bargae, cum quindecim eſſet annorum. Joannis nomini, quo antea appellabatur, illud Laurentii addidit; nam praecipuo quodam cultu S. Laurentium venerabatur, per quem ex illo, quod memoravimus, incendio (iſtud enim acciderat in pervigilio illius feſti) ſe ere-

ptum & ſervatum eſſe putabat. Ex eo tempore, quo Jo. Laurentius in Auguſtinianam familiam cooptatus fuit, illius mens, ut ita dicam, obvoluta & obligata explicari & ſolvi coepit; cumque ſtudiorum curriculum ingreſſa fuiſſet, volare eam, non excurrere dixiſſes. Atque hoc adeo erat admirabile, ut praeceptores, quos Florentiae primum, mox Romae habuit Bertius tum in litteris humanioribus, tum in philoſophia atque theologia, omnes una voce praedicarent illum Marini Merſennii exemplum renovaturum. Comprobavit eventus divinationem; quae quidem exempla eos arguere mihi videntur, qui adoleſcentes, quos vident tardi & obtuſi ingenii, tanquam deſperatos relinquunt. Incredibile autem eſt quanta contentione animi, vigilantia ac labore coeptum iter conficere enixus ſit, idque obtinuit, ut ait Cicero, quod ſaepe viatoribus cum properant, evenit, ut ſi ſerius, quam voluerint, forte ſurrexerint, properando etiam citius, quam ſi de nocte vigilaſſent, perveniant, quo velint. Nondum expleverat viceſimum ſecundum aetatis annum, cum juſſu majorum de rebus divinis

ad populum dicere coepit, brevique famam probabilis oratoris ſibi comparavit; dicebat enim ſatis prudenter, compoſite & ornate: itaque minime eſt mirandum, ſi plures illuſtres Italiae ſuggeſtus aſcenderit, omnibuſque ſe probaverit. Recordantur praeſertim Fanenſes, quam magnos plauſus excitaverit, cum apud eos aliquando concionatus eſſet; iidemque praeclarum dederunt teſtimonium judicii & amoris ſui in Bertium, cum eum civitate donaſſent. De Bertii eloquentia exiſtimari poteſt ex illius panegyricis orationibus editis anno MDCCLXIV., quae quamvis non ſemper ornentur illis rebus, ex quibus univerſis eloquentia conſtat, ſatis tamen oſtendunt quam auctor eſſet ad excogitandum acutus, & quam ſolutus & copioſus in explicandis ſententiis. Tantum autem ipſe fidebat eloquentiae ſuae & cognitioni, quam acquiſierat, rerum Judaicarum, ut, cum Liburni eſſet an. MDCCXXV., oratione convincendos ſuſceperit Hebraeorum de Chriſto errores; maximeque laetatus eſt, cum intellexiſſet nonnullos illius contumaciſſimae ſectae fractos a ſe diſceſſiſſe. Itaque rem utilem ſe facturum putavit, ſi habitam ora-

tionem in vulgus emiſiſſet. Eodem tempore, quo ſe in eloquentia exercebat Bertius, Hebraicae & Graecae linguae operam dedit, habuitque in Graeca praeceptores Antonium Mariam Salvinium & Dominicum Lazzarinium viros ſane cum paucis comparandos. Has autem linguas eo libentius excoluit, quod eas maxime conducere arbitratus eſt ad abſolutam, quam ſpectabat in primis, rerum divinarum ſcientiam. Nolim autem exiſtimes in his linguis Bertium ſummum evaſiſſe. Erat enim ejus induſtria plura in ſtudia diſtracta, quod omnes artes, quae ſunt libero dignae, comites & miniſtras oratoris eſſe putaret, quibuſque ſi in dicendo non utitur, tamen apparet, utrum ſit earum rudis, an ipſas didicerit. Qua opinione adductus ſtudio acriore, quam ab homine theologo expectari poterat, in poeſin incubuit, ad quam ſe a natura factum arbitrabatur. Profecto ipſe erat ſolutus & expeditus ad pangendos verſus, nec ſemel ſui periculum fecit magno in conventu Academicorum Florentinorum, quos Apathiſtas vocabant, ex tempore de re propoſita verſibus dicens. An iis ſatisfecerit ignoro;

ſed ſi poetae nomine eum tantummodo dignum cenſemus, qui admirabilis videatur & ſit (in iis enim artibus in quibus non utilitas quaeritur neceſſaria, ſed animi libera quaedam delectatio diligenter ac prope faſtidioſe judicare ſolemus) non video qui potuerit Bertius ad laudem, quam quaerebat, optimi poetae aſpirare. Quod non eo dico ut homines adoleſcentes a poeſis ſtudio deterream. Nam non mediocri honori fuit Bertio illa ipſa; quamcumque aſſequi potuit, in ſcribendis verſibus mediocritas *; & poetica tractans ſumma perfundebatur jucunditate. Non defuerunt qui de Joanne Laurentio illud etiam praedicarent, illum mirifice fuiſſe deditum mathematicis diſciplinis. Sed ei plus ſane tribuerunt quam veritas concedit, cum prorſus fuiſſet illarum diſciplinarum ignarus, ipſa repugnante natura. Nihilo tamen minus in tradenda ſuis philoſophia Carteſianos potiſſimum

* Vide quae Theobaldus Ceva de Bertii carminibus ſcripſit *nella ſcelta di canzoni, dei più eccellenti poeti antichi e moderni: Venezia 1758.*

tiſſimum ſequi gloriabatur. Fuit profecto ejus opera fructuoſior, cum e philoſophia ad magiſterium theologiae tranſiiſſet, quam facultatem Senis, Florentiae, Bononiae, Patavii, & Romae ita profeſſus eſt, ut ubertatem eruditionis & copiam doctrinae omnes ſuſpicerent. Accidit interea, ut Nicolaus Antonius Schiaffinatius, qui ſummum Magiſtratum tenebat Auguſtinianae familiae, huic aſſignare deliberaverit ejusmodi theologiam, quae ex inſtituto majorum totam complecteretur S. Auguſtini doctrinam in eo praeſertim, quod ſpectat ad Dei gratiam liberumque hominis arbitrium; quaeque typis impreſſa una omnium ſui Ordinis ſcholarum regula eſſet. Id enim & ad brevitatem ſtudiorum aptius, & ad ſalubritatem ſententiarum de rebus divinis tuendam adverſus peſtem quamdam in ipſo Catholicae reipublicae ſinu tanquam ſtrumam adhaerentem providentius, & ad Auguſtinianae ſcholae gloriam retinendam accommodatius eſſe putavit. Hac re deliberata, Schiaffinatius, qui in eligendis idoneis viris judicium & diligentiam ſemper ſummam adhibuit, mandat Jo. Laurentio, ut opus hoc

theologicum ſcribendum ſuſcipiat. Omnia ei petenti recepit & pollicitus eſt Bertius non tam ſua ſponte, quam ſtimulis addentibus Zazzerio, Gattinio, Antonio Gioja, quo intime ſane utebatur, ceteriſque omnibus, ſi unum excipias non Italum, primariis Auguſtinianae familiae viris. Quoniam vero tantum opus nec inſtitui niſi praeparato otio, nec exiguo tempore abſolvi poſſe videbatur, a ceteris omnibus occupationibus exſolvi poſtulavit, ut in hanc unam animum intenderet. Frequentiſſime abdebat ſe in bibliothecam *Angelicam*, ibique & legendo & ſcribendo homo non tam natura quam exercitatione robuſtus dies totos conſumebat. Cum eo etiam pernoctabant, deambulabant atque ruſticabantur commentationes ac tractationes theologicae, ſatiſque oſtendebat ſe nihil remiſſurum de improbo, quem tolerabat, labore, niſi prius ſuſceptum iter magna ex parte confeciſſet. Vulgavit ipſe tria priora volumina (octo enim voluminibus totum opus, quod inſcripſit *de Theologicis diſciplinis* comprehenſum eſt) anno MDCCXXXIX., quartum & quintum eo, qui conſecutus eſt, anno, ſextum an.

MDCCXLII., ſeptimum huic proximo anno, octavum demum an. MDCCXLV. Porro admonendi omnes ſunt, qui dant operam theologiae, ut hos libros nunquam de manibus deponant. Prae ſe ferunt enim genus ſcriptionis grave, & argumento plane dignum, ſatis comptum praeterea, & Scholaſticorum faecibus expurgatum; lucidum ubique ordinem cum brevitate conjunctum; ſummam in rebus maximi momenti diligentiam; in diſputationibus moderationem; tantam autem eruditionis copiam, ut ad theologicas diſciplinas percipiendas amoenam non minus, quam compendiariam aperiant viam. Ac fuere quidem nonnulli, quibus videretur Bertius ſubobſcure aliquando, & veteranis potius, quam tironibus ſcripſiſſe; Romanae vero majeſtatis fuiſſe paullo ſtudioſior, quam oporteret; quorum poſtremum ſicut pietati in Summos Pontifices, quae in eo fuit maxima, & loco, in quo ſcribebat, tribuendum, ita primum rerum non verborum obſcuritati, alterum neceſſitati, qua premebatur, celeriter perficiendi operis aſſignandum. Verum quoniam librorum ſcriptores non naevo aliquo & cre-

pundiis, ſed corpore omni, ut ita dicam, cognoſci debent, hoc mihi videor poſſe contendere ex eorum numero, quorum Inſtitutiones theologicae hodie circumferuntur, vix ullum eſſe, qui uberius, meliorique ratione univerſam hanc, quantum late patet, diſciplinam ſit complexus; paucos, qui linguarum & critices ſubſidio in abditiores theologiae receſſus felicius penetraverint; neminem, qui in illuſtranda & tuenda Auguſtini doctrina praeclarius operam collocaverit. Non dubito fore pleroſque, quibus minime neceſſarium hoc noſtrum judicium videbitur, cum Bertius innumera prope habuerit & judicia & teſtimonia graviſſimorum theologorum, quodque magis facit auctoritatem, ipſius Summi Pontificis Benedicti XIV. qui omnes jure & vere hoſce libros *de Theologicis diſciplinis* in caelum tulerunt. Nec potuit ab ſapientiſſimo Pontifice honorificentius fieri de Jo. Laurentio, quam cum audiens illum diſtractum iri ab opere celeriter abſolvendo (nam Auguſtinus Gioja, ubi declaratus fuit Ordinis Magiſter, novo quidem apud Auguſtinianos, ſed decoro ad ornandum Bertium inſtituto

munere, ipſum habere voluit Latinarum epiſtolarum ſcriptorem) ſtatim ad ſe Giojam advocavit, eique imperavit, ut vacuum & liberum ab omni munere eſſe ſineret Joan. Laurentium: ſi praemio aliquo ejus doctrina ejuſque ſtudiis digno ipſum afficere vellet, bibliothecae *Angelicae* praeficeret. Fuit quidem Gioja dicto Pontificis audiens, quamvis hoc eſſet in more poſitum, ut illius bibliothecae praefectura iis deferretur, qui ad gubernacula ſodalitatis ſediſſent. Poſtquam Bertius ſuum *de Theologicis diſciplinis* opus abſolvit, calamum ſumere debuit, ut illud a calumniatoribus defenderet. Hi enim & voce & ſcripto, & privatim publiceque diſſeminabant ab illo prava & perverſa multa edoceri; dogmata Praedeſtinatianorum defendi, ſcilicet nolle Deum ſalvare omnes; Chriſtum non pro omnium ſalute crucifixum; liberum arbitrium ex ſe nihil aliud gignere poſſe niſi malum; homines ad peccata compelli, hisque ſimilia errorum monſtra, de quibus olim Manichaei, mox Lutherani & Calviniſtae, poſtremo Bajus & Janſenius damnati fuerunt. Poterat ſe quidem ſolari Ber-

tius, quod communem haberet fortunam cum illuſtrioribus diſcipulis non ſolum S. Auguſtini, ſed etiam S. Thomae, Henrico Cardinali Noriſio, Chriſtiano Lupo, Petro a Soto, Natale Alexandro, Hyacintho Serrio, &, ut innumeros alios omittam, cum ipſo ſanctiſſimo antiſtite & magiſtro Auguſtino, qui omnes accuſati errorum fuerunt, omneſque de inimicorum perfidia triumpharunt; poteratque ejusdem Auguſtini dictum * uſurpare: *me oportet cum talibus convicia non ſolum patienter, verum etiam gratanter audire*. Praeter quam quod in iisdem ferme dictis reprehendebatur Bertius (& hoc quoque non mediocri illi erat ſolatio) quorum Noriſius inſimulatus fuit, & quae non populari quadam trutina, ſed aurificis ſtatera ſemel iterumque & tertio Romae examinata, ita probata a ſummis judicibus fuerunt, ut inſignem accuſatorum impudentiam nihil illi detraxiſſe, ſed potius aliquid addidiſſe laudis judicatum fuerit. Haec reſpiciens Bertius in animum induxerat omnes indignitates contu-

* Lib. II. op. imp. c. 9. & 10. p. 960.

meliáſque inimicorum ſuorum patienter ferre, utque propoſitum mutaret, fecerunt amici, ſapientes viri Auguſtiniani, ipſeque Summus Pontifex Benedictus XIV. verba Hieronymi ad Pammachium opportune ſane omnes uſurpantes *: *nolo in ſuſpicione haereſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur, ſi taceat*. Exarávit itaque Bertius, vulgavitque Romae anno MDCCXLVII., nequicquam contra adlaborantibus in Auguſtinianam doctrinam male animatis hominibus, diſſertationes ſex, quarum haec eſt inſcriptio: *Auguſtinianum ſyſtema de gratia ab iniqua Bajani & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum, ſive refutatio librorum, quorum titulus: Bajaniſmus & Janſeniſmus redivivi in ſcriptis PP. FF. Bellelli, & Berti Ordinis Eremitarum S. Augustini &c. Part. I. & II.* Conſcripſerat hos libros *de Bajaniſmo & Janſeniſmo redivivo* Joannes d' Yſe *de Saleon* Epiſcopus primum Segodunenſis, mox Archiepiſcopus Viennenſis in Gallia, aliorum magis vocibus, quam ſua ſponte inflammatus in illa duo Auguſtiniani ordinis lumina; ejuſque poſtea

veſtigia perſecutus eſt Joannes Joſephus *Languet de Gergy* Senonum Archiepiſcopus, iis tamen praeeunte Canonico quodam Auguſtae Sueſſonum cognomine *de Gorgne*, qui primus omnium Bertii theologiam, poſtquam quartum illius volumen in lucem exierat, apud Summum Pontificem Benedictum XIV. criminatus eſt. Hac re Pontifex commotus negotium dat duobus religioſis viris Fortunato Tamburinio & Joachimo Beſutio, quorum doctrinae in theologicis rebus tanta erat opinio, ut hac commendati ad Cardinalatum pervenerint, ut cognoſcant de Gorgnii animadverſionibus & Bertii ſcriptis, ſeque de his admoneant. Hi poſtquam diligentiſſime examinaſſent verborum omnium pondera, retulerunt Pontifici injuria Bertium erroris inſimulari; nihil eſſe in ejus libris, quod Janſeniſmum redoleat, quin immo omnia eſſe in ipſis exarata docte ſcienterque ad ſenſum S. Auguſtini mentemque Catholicae Romanae Eccleſiae. Hoc prolato judicio, licuit Bertio in eo gloriari, ſicut aurum igne, ita opus ſuum cenſoria ſeveritate probatum fuiſſe; nec minus illi glorioſum fuit Doctores omnes Lova-

Digitized by Google

nienſes celeberrimamque ejus urbis Academiam ſecum ſtetiſſe, & Clerum Gallicanum in ſuis comitiis an. MDCCXLVII. palam rejeciſſe ſupra memoratos libros *de Bajaniſmo & Janſenismo redivivo*, ut pote injurios in ſummos theologos, acceptamque diſciplinam ab Auguſtino, *quo nemo diligentius*, ut ajebat S. Prudentius, *divinarum ſcientiarum arcana exquisivit, nemo verius invenit, veracius protulit, effuſius diſſeminavit*. Nos tamen iisdem libris gratiam aliquam habere volumus, quod extorſerint a Bertio ſex illas, quas commemoravimus, Diſſertationes, in quibus dum ſe, Bellellium & Auguſtinianam ſcholam ab omni erroris ſuſpicione vindicavit, tantum doctrinae lumen ſparſit, ut nuſquam melius fraudes & prolapſiones Baji, Janſenii & Queſnellii cognoſci poſſint. His rebus geſtis exiſtimabat Bertius neminem inventum iri, qui ſibi iterum moleſtias exhibere auderet. Falſo. Nam inventus eſt Franciſcus Antonius Zaccaria e S. J., qui dilutas in Bertium criminationes animoſe renovavit, cum in ſua *Hiſtoria Litteraria Italica* judicium pronuntiaſſet de theologicis illius libris, horumque apolo-

Digitized by Google

getico. Pudet me debere referre atrociſſimas querelas religioſorum hominum, qui, fractis ſanctiſſimis vinculis Chriſtianae charitatis conculcatiſque ſapientiſſimis legibus Summorum Pontificum *, tanquam haereticos eos traducunt, qui ullam aliam diſciplinam theologiae probant praeter eam, quam ipſi ſequuntur, & qui manus ſuas non in defendenda Chriſtiana republica, sed in exagitandis veteris ſaniorisque doctrinae reſtitutoribus conſumunt. Séd hi dummodo doleant aliquid, doleant quodlibet. Quoniam igitur agebatur de honore dignitateque non tam Bertii, quam totius Auguſtinianae familiae, cum qua ille communes habebat de divinis rebus ſententias, ipſe non recuſavit in certamen deſcendere cum Zaccaria, quanquam intelligeret ſibi rem fore cum omnibus Jeſuitis. Fuit tanquam levis armaturae prima excurſio opuſculum, quod Joannes Laurentius inſcripſit:

* Hac leges ſunt Innocentii XI. & XII. nec non Clementis XI. & XII., quae vetant aliquem traducere invidioſo nomine Janſeniſmi, *niſi prius, re cognita a Sede Apoſtolica*, conſtiterit eum aliquam e quinque propoſitionibus docuiſſe & tenuiſſe.

Ragionamento apologetico di F. Gianlorenzo Berti Agostiniano al dottiſſimo Padre Franceſco Antonio Zaccaria della venerabile Compagnia di Gesù. In hoc breviter arguteque ille incluſit omnia adverſarii dicta, & graviora argumenta ad illa convellenda; ſicque tantam adjunxit auctoritatem & firmamentum *apologeticis ſuis Diſſertationibus*, ut niſi judicatum fuerit meridie non lucere, ne ſuſpicari quidem quiſpiam poſſit aliquid ineſſe in ſcriptis Bertii cum Baii & Janſenii doctrina conſentiens. Voluit etiam eo loci ſe purgare Jo: Laurentius, quare paullo fervidior & aſperior fuiſſet in repellendis a ſe Archiepiſcopi Viennenſis criminationibus. Ait enim lenitatem ab eo minime expectari debere, qui probris maledictiſque atrociſſimis provocatur; & ſe, cum ſcripſiſſet *Diſſertationes illas in Bajaniſmum & Janſeniſmum redivivum*, neſcium fuiſſe opus hoc ex Archiepiſcopi Viennenſis officina exiiſſe, propterea quod auctoris nomen minime prae ſe ferebat. Se ille poſtea aperuit, cum edidiſſet anno MDCCL. *Documentum Paſtorale in commentitiam apologiam*, cui titulus *Auguſtinianum ſiſtema &c.*, cui idcirco mini-

me reſpondit Bertius, quod cumulatiſſime ſe ſatisfeciſſe cauſſae & officio ſuo putabat in explicanda defendendaque Auguſtiniana doctrina *de duabus delectationibus* (non iis quidem libertatem cogentibus, &, ut theologi vocant, *invincibilibus*, ſed poteſtatem agendi reluctandique integram ſervantibus, quamvis *ſecundum id operemur* * *neceſſe eſt, quod amplius nos delectat*) ex quo fonte omnes Baji & Janſenii errores profluxiſſe illo *Paſtorali* ſuo *Documento* Saleonius perſuadere volebat. At ſi cui nimium acrimoniae habuiſſe Bertius videbitur, dum Archiepiſcopo Viennenſi reſpondit, fateatur idem neceſſe eſt multis illum mitigationibus leniiſſe acerbitatem ſuam, cum, edita Liburni an. MDCCLVI. *Expoſtulatione* quadam, confutaſſet *Judicium Archiepiſcopi Senonenſis de ſuis & Fulgentii Bellelli theologicis operibus*. Qui hanc expoſtulationem cum ceteris apologeticis ſcriptis Bertii contulerit, facile intelliget ſimilibus accuſationibus ſimilia reddita eſſe reſponſa. Semel enim jactis firmiſſimis defenſionis fundamentis, ad

* S. Auguſtinus c. 12. epiſt. ad Galatas.

ea referri neceſſe erat quidquid iterum promebatur concludebaturque, quamvis moliretur Bertius aliquid ſemper exquiſitius dicere. Sed ad Zaccariam revertor, cujus cenſorii ſtili mucronem ſi majores ejus retudiſſent, non doluiſſent multos non tam ipſi quam univerſae Societati Jeſu implacabiles factos inimicos, qui hujus caſum accelerarunt. Idem ut ſocios videretur habere in reprehendendo exagitandoque Bertio, ſimulavit neſcio quem Monachum Vallumbroſanum oppugnatorem fuiſſe *del Ragionamento apologetico* epiſtola quadam Italice ſcripta, cujus exemplum retulit in IV. volumen *Hiſtoriae Litterariae Italicae*. Hoc erat genus oppugnationis, ut in eo reprehenderetur Bertius, in quo illius adverſarii offendebant, quod ſcilicet minime ſe abſtineret ab aculeis contumeliae; renovabaturque tota illa vetus cantilena, mortifero veneno imbuta eſſe dicta illa; *non eſſe neceſſariam ad imputationem peccati praeſentem & actualem divinae gratiae inſpirationem; divina praecepta non iis abſolute dicenda eſſe impoſſibilia, quibus auxilium ſufficiens occulto Dei judicio negatur; ſine auxiliatricis gratiae ſubſidio li-*

berum arbitrium nonniſi peccata gignere poſſe; in Deum referenda eſſe charitate ſaltem virtuali opera deliberata; *ſtatum purae naturae impoſſibilem eſſe*, & quae ſunt hujus generis alia. Videbat Bertius quam haec eſſent levia & brevia reſponſu. Quoniam autem ita natura comparatus erat, ut cum res eſſet de religionis fama conſervanda, quae vere ſola gloria nominari poteſt, omnem exuere videretur humanitatem, confecit vulgavitque opuſculum, in quo multum & leporis & bilis ſparſit ad irridendum Epiſtolae Scriptorem, carpendumque Auctorem *Hiſtoriae Litterariae Italicae*. Noluit ſub ſuo nomine hoc opuſculum apparere, quare illi titulum fecit: *Disinganno del Padre Fulgenzio Moneta da Bagnone all' Autore dell' opera intitolata: Storia Letteraria d' Italia, intorno alla lettera nel IV. volume inſerita, e ad altri ſcorsi di penna dello ſteſſo ſcrittore contro un Agostiniano apologiſta*. Haec & quae ſecuta ſunt Bertii ſcripta adverſus Zaccariam magis eo valuiſſe credo, ut injurias repellerent, quam ut opiniones, quas a majoribus Auctor accepit de divinis rebus, defenderent. Nihil enim ad priores de-

ſenſiones addi poſſe videbatur, ipſaque bonitas aequitaſque cauſſae propugnaculo ſibi poterat eſſe. Sed ſaepe fieri videmus ut accuſatio non pro religione, ſed religio pro accuſatione ſuſcipiatur. Porro Bertius omnia illa tela, quae in ſe immiſit Zaccaria (neque is immittendi occaſionem ullam amiſit tum voce tum ſcripto) fregit comminuitque; & poſtquam in apertum protulit anno MDCCLVIII. librum, qui inſcribitur; *Alcuni apologetici ſcritti contro l' Autore della Storia Letteraria d' Italia Part. I. e II.* ipſi certe licuit cum Critone Terentiano * ſe jactare:

> *Si mihi pergit quae volt dicere, ea quae non volt audiet.*

Plurima quoque ſunt in voluminibus iis, quae ad ſupplendam *Hiſtoriam Litterariam* ſcripta dicuntur **; quae dum Bertium defen-

* Andria Act. V. ſcena IV. verſ. 17.

** Supplemento, ovvero oſſervazioni fatte ai Tomi I. II. III. IV. V. VI. VII. della Storia letteraria. In Lucca 753. 1754. e 1755. per Filippo Maria Benedini Vol. II.

dunt, acriter Zaccariam mordent; neque dubito, quin haec ipſi Bertio praeſertim ſint tribuenda. Nec etiam dubito eorum me adſcribere ſententiae, qui Bertium auctorem exiſtimant *Epistolarum Fr. Guidonis*, quae epiſtolae, quod contineant genus jocandi petulans, & interdum etiam ſubimpudens, merito ab iis, quorum poteſtas eſt, proſcriptae fuerunt. Sed Jo. Laurentius factum hujuſmodi inficiando maluit hominum reprehenſionem vitare, quam fatendo laudem faceti, elegantis & eruditi ſcriptoris aucupari. Quod ex ſe natum minime negabat erat Italicum poema inſcriptum *La Zaccareide*, quo ſalſiſſime Zaccariam perſecutus eſt. Scio hujus poematis novem libros ſive cantus autographos poſt Bertii obitum Romam delatos eſſe; decimus, quo clauditur opus, apud me eſt; ex eoque judicium facere potui, quanta facilitate uteretur Jo. Laurentius in ſcribendo Italico carmine, & quam in altercando cum aliquo aculeo & maledicto eſſet facetus & acutus. Sed tempus eſt, ut finem faciam narrandi jurgia & lites hominum, qui inter ſe ita pugnarunt,

ὥστε γυναῖκας,
Αἵτε χολωσάμεναι ἔριδος πέρι θυμοβόροιο
Νεικεῦσ' ἀλλήλῃσι μέσην ἐς ἀγυιὰν ἰοῦσαι
Πόλλ' ἐτεά τε καὶ οὐκί *.

Hoc unum tamen addam, vere multos queri de Jeſuitis, quod ſumma doctrina homines a praeclaris utilibuſque conficiendis operibus abſtraxerunt, dum eos pertinaciter vexatos vim vi repellere coegerunt. At Bertius, qui erat induſtria prope ſingulari, eodem tempore, quo rem ſuam egit adverſus Zaccariam, multa alia conſcripſit, quae ſe debere putavit dignitati decorique muneris, quod in Academia Piſana ſuſtinebat. Etenim an. MDCCXLVIII. factus fuerat Hiſtoriae Eccleſiaſticae magiſter, ad quam depoſcendam provinciam, quae illum cauſſae impulerint, minime praetereundum eſſe arbitror. Libentiſſi-

* Homer. Iliad. lib. XX. v. 252. *Tanquam mulieres, quae iratae contentionem per animum rodentem probra jactant altera in alteram mediam in viam prodeuntes, multa veraque & non.*

me quidem is erat Romae, praeſertim quia multum gratia valebat apud Benedictum XIV. cujus in congreſſum colloquiumque ſaepiſſime admittebatur. Tantae profecto erant Benedicti in Joannem Laurentium voluntatis ſignificationes, ut qui ei inimici erant, in ſuſpicionem venerint, ſeu potius intellexerint Pontificem cogitare de ipſo in Cardinalium collegium cooptando. Incredibile eſt, quantas hi adhibuerint machinas ad eumdem labefactandum. Sed nihil magis ipſe dolere debuit quam occultum inteſtinum & domeſticum malum, & ipſorum amicorum fraudes. Nam cum Antonius Gioja, qui, ut diximus, Auguſtinianae familiae praeerat, intelligeret non debilitari modo, ſed prorſus evaneſcere ſpes ſuas, quas de dibapho obtinendo conceperat, ſi hoc honore Bertius decoraretur, homo ambitione ſumma omni ope & opera ſibi enitendum putavit, ut Bertium de gradu dejiceret. Nihil egit Bertius, ut ſe ab aliorum odio & invidia defenderet, quod eſt ſignum moderati animi & a machinationibus alieniſſimi. Atque haec priuſquam acciderent, idem potuerat ad praecavendum Giojae non ami-

cum in ſe animum cognoſcere. Etenim cum is a Pontifice juſſus fuiſſet *Aſſiſtentem*, ut vocant, Italiae Bertium creare, tantas attulit rationes, ſpecie quidem Bertio honorificas, rebuſque Familiae neceſſarias, ut ab ea mente Pontificem avocaverit. Quae ſi acerba Jo. Laurentio fuerunt, ut certe fuerunt acerbiſſima, nullum tamen ipſe fracti iratique animi indicium dedit, quaerentique aliquando amico, unde tanta voluntatis immutatio in Gioja facta fuiſſet, ridens reſpondit. Quid? Tu non vides ipſum illum Ariſtotelis diſcipulum ſummo ingenio, ſumma modeſtia, poſtquam Rex appellatus ſit, inconſtantem, ambitioſum, immoderatum fuiſſe? Sed verens ne ad praeterita infortunia aliquid in poſterum acerbitatis adderetur, rebus ſuis conſulere ſtatuit. Itaque libenter arripuit oblatam ſibi occaſionem operam ſuam praeſtandi Academiae Piſanae. Subitum illius ab urbe diſceſſum doluit Benedictus, cujus voluntas in Bertium & opinio de illius doctrina nulla inimicorum fraude unquam potuit immutari. Cui quidem bonitati reſpondit ſemper Bertius, & nunquam ab eo de tanto Pontifice

E 2

mentio facta eſt niſi honorificentiſſima & plena gratiſſimi animi. Cum multa narraret de ſermonibus collocutionibusque cum illo habitis, cetera inter affirmabat ſe effeciſſe, ut is interdum haeſitans in Auguſtinianae ſcholae de gratia Dei decretis omnem a ſe abjecerit dubitationem, perfectuſque evaſerit Auguſtinianus. In eo etiam gloriabatur Jo. Laurentius ſtimulos ſe addidiſſe Pontifici ſua ſponte jam excitato ad defenſionem ſuſcipiendam Cardinalis Noriſii adverſus eos, qui audacia & impudentia ſingulari auſi fuerant illius opera *de Pelagiana Hiſtoria*, & *de Quinto Concilio Oecumenico* in proſcriptorum librorum tabulas, ejusdemque nomen in Janſeniſtarum numerum referre. Verum tanta eſt impunitas & licentia maledicendi, ut cum eraſi eſſent e *Bibliotheca Janſeniſtica* Cardinales Noriſius & Bona (qui quantique viri!) in eraſorum locum, vulgato mox *Dictionario* quodam *Janſeniſtico* *, quod nonniſi nomine a *Bibliothe-*

* Cauſſa publicandi *Dictionarii Janſeniſtici* fuit damnatorium judicium, quod de *Bibliotheca* ejusdem nominis fecit S. Indicis Congregatio an. 1749. die 20. Septembris; quam fortunam ſubiit etiam *Dictio-*

ea differebat, Bertius & Bellellius ſubditi fuerint. At Bertius, qui Noriſium veluti prodigium quoddam virtutis & doctrinae venerabatur, magnae ſibi gloriae merito ducebat occupatum ab illo antea locum tenere; ex quo fiebat, ut non minorem gratiam ſe habere velle diceret Auctori illius *Dictionarii*, quam Magno Etruriae Duci, a quo delectus fuerat ad eam regendam cathedram, quam olim Noriſius tanta cum ſui & Academiae Piſanae gloria occupaverat. Hanc cum primum ingreſſus eſt Jo. Laurentius Latinam habuit orationem, quae eſt in manibus, de modo tradendae Eccleſiaſticae Hiſtoriae, hujuſque utilitate, in qua ſi fortaſſe plura promiſiſſe videtur quam praeſtare poterat, dan-

narium an. 1754. die 11. Martii. Hujus auctor fuit P. Patuel e S. J., illius P. de Colonia ex eadem Societate, qui non alia re niſi audacia & petulantia ſua freti libros illos in ſanctiſſimos viros maxime injurioſos edidiſſe aequis judicibus videntur. Qui vero memorata opera Noriſii damnavit, fuit Epiſcopus Tenclenſis, Generalis, ut vocant, Hiſpaniae Inquiſitor, qui in hac re perficienda ab ſuo & aliorum artificio, & a gratia, qua plurimum apud Regem pollebat, adjutus fuit.

dum eſt deſiderio, quo flagrabat, aequandi Noriſii gloriam. Nihil ſane concedebat Bertius Noriſio in cognitione rerum ad Auguſtinianam doctrinam de gratia Dei quomodocumque pertinentium, videbaturque hanc jure ſuo ſibi vindicare, cum diceret, ſi ſibi diſputandum eſſet de illa gratia cum Daemone, ſe profecto victorem diſceſſurum. At ſiquid in hiſtoria judicio certo, divinatione collationeque monumentorum occultum inveniendum erat, aut obſcurum illuſtrandum, Bertius non modo Noriſio, qui in hac facultate omnium judicio facile primas tulit, ſed quam plurimis etiam aliis concedebat. Quare non mirum ſi cum ſcribendam ſuſcepiſſet Hiſtoriam Eccleſiaſticam, non admodum laudis collegerit. Imitatus Natalem Alexandrum diſtribuere ſibi opus propoſuit in diſſertationes; & ſingula volumina, ſi primum excipias, quod προλεγομένοις conceſſit, tot diſſertationes continere debebant, quae trium duorumve ſaeculorum hiſtoriam exhiberent. Sed non ultra IV. volumen progreſſum eſt opus, de quo opere cum judicium pronuntiaſſet Zac-

caria *, multa in I. & II. volumine contenta acriter ſuo more reprehendit. Non reliquit Bertius cenſuram Zaccariae ſine reſponſo, ediditque Dialogos, in quibus fingit fuiſſe diſputationem de rebus reprehenſis inter duos Eremitas, quibus nomina fecit Hermotimi & Philogoni. Philogonus partes ſuſcipit Bertii, diluitque omnia ea, quae objecta ſunt, paucis quibusdam exceptis, in quibus non auctorem, ſed amanuenſes aut typographos erraſſe dicit. Talis exempli gratia eſt locus ille **, ubi legitur *Cerinthianos rejeciſſe Evangelium Matthaei*, cum legi debuiſſet: *Cerinthiani rejiciebant Evangelia, & mutilabant Evangelium Matthaei*. In his dialogis Bertius non tam cauſſam ſuam defendere, quam elegantis ſcriptoris laudem conſequi voluiſſe videtur. Hinc in illis diſſeminavit magnam adagiorum copiam, multa dicta popularia & uſitata in Etruria, nec non urbanos ſales. Nihilo tamen minus plurimum ille abfuit a dialogi perfectione, cum in iis-

* T. VIII. & IX. *della Storia Letteraria d' Italia*.

** Differt. III. de I. Chriſtiani ſaeculi haereſibus pag. 35.

Digitized by Google

dem nec varietas appareat, nec conſentiens quaedam omnium partium pulchritudo, neque imitatio familiaris diſputationis morumque diſputantium. Equidem veriſſimam ſemper exiſtimavi hominis litteratiſſimi ſententiam affirmantis dialogum habere debere omnes fere comoediae virtutes, difficillimumque eſſe ſcriptionis genus, in quo paucis excellere contigit. Quod hanc quoque laudem appetiverit Bertius, ignoſcendum eſt ejus deſiderio gloriae; quodque in refutandis adverſarii accuſationibus nimium ſe extulerit, concedendum eſt dolori & ardori animi, qui etiam ex infantum ingeniis elicere voces & querelas ſolet. Paullo ante quam hanc defenſionem ſuam Bertius vulgaret, ediderat *Commentarium de rebus geſtis S. Auguſtini, librisque ab eodem conſcriptis cum hiſtorica lucubratione de S. Auguſtini Parente Monica, & quibusdam aliis ipſi neceſſitudine & religioſae vitae profeſſione conjunctis*. Ab hoc Commentario ille initium facere meditabatur magni cujusdam operis, quod hiſtoriam complecteretur Scriptorum, qui in Eremitana S. Auguſtini familia ab illius inſtitutione ad noſtra uſque

Digitized by Google

tempora floruerunt. Erat quidem materies digna facultate & copia illius, ſed cathedrae, ſtudiorumque ad eam pertinentium labore ejus vita diſtracta non ſivit ipſum rem inſtitutam perſequi. Itaque multa, quae ad eam rem collegerat, monumenta amico & collegae conceſſit, ſibi tantummodo reſervans, quae ad Auguſtinum ſpectabant, ut eadem perpolita & in vulgus edita eſſent perpetuum teſtimonium ſui amoris in ſanctiſſimum Parentem & Magiſtrum. Verum ſiquis hanc Auguſtini vitam conferet cum iis, quas ceteros inter ſcripſerunt Tillemontius & Maurini Monachi, facile intelliget eadem nos carere potuiſſe. Tulit tamen ob hoc opus haud immeritam laudem gratiamque apud Benedictum XIV., cui & rem gratam ſe facturum putavit Bertius, ſi in lucem hominum protuliſſet *Diſſertationes*, quas Romae coram eo dixerat in Academiae *Hiſtoriae Eccleſiaſticae Romanorum Pontificum*, quarum argumenta prius quam coner attingere, admonendi eſſe lectores videntur non ex illorum theologorum numero fuiſſe Bertium, qui tanquam ab animo corpus, ſic a ſententiis ornatum verborum ſe-

jungunt. Nam illius oratio quocumque ingreditur, eodem eſt inſtructu ornatuque comitata. Quaerebatur num ab Apoſtolorum Principe confirmatum fuerit S. Marci Evangelium, & num hoc non ſolum, ſed & ceteri Sacrae Scripturae libri *Canonici* ab ipſo declarati fuerint. Utrumque probat Bertius, cauſſasque affert, quare Marcus interpres Petri appelletur. Atque haec in prima diſſertatione. Secunda, quae eſt de Titulis ab Evariſto Pontifice inſtitutis, declarat Eccleſias Titulorum nomen ex marmoreis aris in ipſis ad ſacrum peragendum poſitis traxiſſe; Titulos non in ſuperiori, ſed in inferiori & ſubterranea aedium parte extitiſſe; Presbyterosque, quibus illos aſſignavit Evariſtus, veros fuiſſe Cardinales. Perpaucos probaturos arbitror, quae de horum origine (hanc enim, ut auguſtiorem faceret, ab Apoſtolis repetit) hoc loco tradidit Bertius. Obſcuram ſane & magna ex parte ignotam hiſtoriam Sanctorum Pontificum Pontiani & Anteri patefacit atque illuſtrat tertia diſſertatio, ac cetera inter ſtatuit Pontianum anteceſſiſſe Anterum; illum annos quinque, menſes duos, hunc menſem

unum & dies decem Eccleſiam Dei rexiſſe; utroſque vero martyrium ſubiiſſe, Pontianum in inſula Sardiniae III. Kal. Novembris anno CCXXXV., Anterum Romae III. Kalen. Januarii anno, qui ſecutus eſt. Quarta diſſertatio exponit, quo tempore natum eſt Donatiſtarum ſchiſma; qui fuerint ejus praecipui defenſores ſectatoreſque; quomodo illud pepererit impotentis mulieris iracundia, ambitio nutriverit, & avaritia roboraverit; quid geſſerit Melchiades Pontifex ad illud extirpandum; & qua de cauſſa Conſtantinus Magnus poſt prolatum a Melchiade judicium rem ad Arelatenſe Concilium deferri ſiverit. Videtur Bertius in ſuo regno verſari, cum de Semipelagianorum origine atque erroribus tractandum ſuſcepiſſet in quinta diſſertatione. Agit praeſertim de Caeleſtini Pontificis epiſtola, quam rogatu Proſperi & Hilarii, laicorum hominum, minime vero, ut multi opinantur, ſacris addictorum, illum Pontificem ſcripſiſſe ait anno poſt mortem Auguſtini, ut hujus famam a calumniatoribus defenderet; nec vero Caeleſtino, ſed Proſpero aſſignanda eſſe putat decem illa capita ejusdem

epiſtolae, quibus dogmata Semipelagianorum damnantur. Sexta diſſertatio tota eſt in defendendo Pelagio I. contra illorum invidiam, qui nullam ejus conſecrationem dicunt, & qui ſanctiſſimum Pontificem haereſis culpare non dubitant. Quaerit ſeptima diſſertatio originem Pallii, hancque ab Apoſtolis repetit, conjecturam praeſertim faciens ex nonnullis monumentis ſaeculorum IV. V. & VI. Diſtinguit Omophorium a Pallio, contenditque hoc inſigne, quod ſemper Metropolitanorum fuit proprium, in Graecia commune fieri omnibus Epiſcopis coeptum eſſe ex eo tempore, quo Joannes XI. Theophilato Patriarchae Conſtantinopolitano conceſſit, *ut is, ejusque ſucceſſores absque Paparum permiſſu Pallio uterentur*. In hoc Diſſertationum volumine extant tres aliae ſane copioſiſſimae & ornatiſſimae a Jo. Laurentio dictae anno MDCCL. in quadam Florentina Academia, quae per illa tempora fuerat inſtituta. Harum in prima & ſecunda expoſuit deliramenta Ethnicorum atque Saracenorum de Deo diviniſque quibusdam rebus, quibus eorum religio praecipue continebatur, declaranturque etiam res, quae ge-

nuere eorum falſas opiniones, turpes errores, puerileſque ſuperſtitiones. Tertia oſtendit tribus prioribus Eccleſiae ſaeculis SS. Patres Platonis ſectam propter ſimilitudinem multorum dogmatum ſecutos fuiſſe, vereque dictum a Sidonio Apollinari *Eccleſiae Chriſti militare Platonis Academiam*. Quoniam vero errorem ſaepe creat ſimilitudo, hinc factum etiam fuiſſe probat, ut multa praeclara ingenia, quae omne ſuum ſtudium in doctrina Platonis poſuerunt, in haereſim inciderint. Dixit quoque poſterioribus temporibus in eadem Academia Diſſertationes alias, quarum tres ſunt in manibus. His perſuadere voluit auditoribus ſuis, quantam theologicae doctrinae copiam, quam reconditam & interiorem, quam puram ut pote ex S. Scripturae, & SS. Patrum fontibus hauſtam ſparſerit Dantes in tota ſua Comoedia, ac praeſertim in ea parte, quae inſcribitur *il Paradiſo*. Et dum Bertius ea perſequitur, quae Dantem fuiſſe S. Auguſtini perquam ſtudioſum demonſtrant, minime ſe continere potuit, quin in Auguſtinianae doctrinae hoſtes inveheretur, inter cetera illud aſſeverans ab his profecto reli-

gioſiſſimum poetam relatum iri in Janſeniſtarum numerum, ſi noſtris temporibus vixiſſet. Quoniam vero maximam vim rerum maximarum idem ille poeta ſua in comoedia conſtruxit, ſibi ignoſci voluit Bertius, ſi auditoribus ſuis, tanquam in locupletem aliquam & plenam pretioſarum mercium officinam eos duxerit, tantam doctrinae copiam per tranſennam adſpiciendam propoſuerit. Atque haec delectationis gratia, cum erat otium, ſcribebat Bertius, minime interea relinquens majora opera, quibus rerum ſacrarum ſcientiam magis magiſque proveheret. Poſtquam abundanter copioſeque ſatisfeciſſet Eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudioſis & privatim & publice eos docendo, maxime ipſis conducere putavit, ſi in quodam Breviario hiſtorico retinendae aut reparandae memoriae cauſſa habuiſſent ſummatim collecta & ratione quadam conſtricta, quae fuſe lateque iisdem explicaverat. Collegit ex antiquitatis monumentis & ex ſua patrumque memoria prope infinita, quae duobus voluminibus complexus eſt, a Chriſti ortu ad noſtra uſque tempora hiſtoriam ducens. Poſſumus ex iis quidem noti-

tiam habere SS. Pontificum, Caeſarum, nec non virorum litteris, ſanctitate, rebus geſtis & erroribus etiam celebriorum, neque ullum eſt Epiſcoporum concilium, nulla magni momenti ſanctio, neque pax, neque bellum, neque res illuſtris pertinens ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, & interdum etiam profanam, cum qua illa neceſſario conjungitur, quae in ipſis voluminibus ſuo tempore non ſit notata; hocque admirabile eſt, tantas res tam breviter potuiſſe declarari. Illud ipsum ſummum ſtudium de adoleſcentium emolumento, quod a Bertio obtinuit Breviarium hiſtoricum, ab illo etiam opus impetravit, quod inſcribitur: *Auguſtini Latinorum Patrum nobiliſſimi quaeſtionum de ſcientia, voluntate, & providentia Dei, nec non de praedeſtinatione ac reprobatione atque de gratia Reparatoris Dilucidatio*. Fuit hoc propoſitum Bertio ratione & diſtributione accurata ſub uno adſpectu ponere quae erant diſperſa in univerſo ſuo opere *de Theologicis Diſciplinis* ad eaſdem quaeſtiones pertinentia, effecitque ut quo brevior, eo dilucidior eſſet expoſitio. Tales aliique labores Bertii pro defenſione Auguſtinianae doctri-

nae magis magisque iram in eum commoverunt hominum contrariarum partium, hoſque inter fuit Venetus quidam e Franciſcana Familia, quae Minorum Obſervantium appellatur, qui editis LXXII. Italicis epigrammatibus petulantiſſime invectus eſt in Bertium expoſitasque ab eo de divina gratia ſententias. Profecto nullo tempore defuerunt, ſicuti nos quoque experti ſumus, homines furioſae cujusdam temeritatis, quos infamiae ſuae neque pudet, neque taedet, hoſque non ſcripto coercere, ſed contemptu (quid enim iis poteſt eſſe contemptius?) ulciſci ſapientis eſſe ſemper judicavi. Verum aliter ſenſit Bertius, qui paria paribus ſic reſpondit, ut & rationibus convincere objurgatorem conviciatoremque ſuum & contumeliarum aculeis ipſum vexare voluerit. Sed quae hinc & illinc edita ſunt carmina, jacebunt in tenebris, quod nihil in iis ſit feſtivum, concinnum atque elegans, quod valeat homines ad legendum allicere. Ii vero qui habent cupiditatem notitiae rerum theologicarum, ex aliis, credo, malent, quam ex hujusmodi fontibus haurire. Aegre quidem ferret Bertius

tius, ſi viveret, hoc noſtrum judicium. Nam cum is natura facilis eſſet ad effundendos verſus, omne id ſe tenere putabat, quod alit ac format poetam. Verum illa, quae memoravimus, carmina & alia non pauca ab eodem relicta tum Italica tum Latina (Latinis enim verſibus inſtituerat totius vitae ſuae curſum exponere) hujusmodi certe non ſunt, ut per ea ad nomen laudemque poetae jure aſpirare potuerit. Sed excelluiſſet licet in poetica Bertius, modica haec pars famae ejusdem fuiſſet nullo modo cum illa comparanda, quam ex divinarum rerum ſcientia collegit. Haec autem quanta fuerit ex hoc maxime intelligi poteſt, quod raro alicujus momenti diſputatio inter noſtrates theologos exoriebatur, quin Bertius judex illius conſtitueretur; ejuſque ſententiae atque conſulta undique requirebantur, magnoque erant apud omnes in pretio. Cum factus fuiſſet theologus Franciſci II. Magni Etruriae Ducis, utilem ei operam & fidem ſingularem praeſtitit. Conſultus etiam fuit a Lucenſibus de controverſia, quam cum Clemente XIII. habuerunt. Etenim contendebant Benedictum XIV.

tio, ſique praeſtitiſſet, minime doleremus aut periiſſe aut in obſcuro loco latere multa doctrinae Bertii monumenta hominum luce immortalitateque, ut fas eſt conjicere, digniſſima. Senſim interim enervabantur in Bertio non tam corporis, quam animi vires, tantaque conſecuta eſt miſeria, ut is omnem fere perdiderit memoriam, qua antea pollebat adeo, ut quae ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis iisdem, quod de Hortenſio a Cicerone praedicatum eſt, redderet. Lacrimans ſaepe lamentabatur ereptam ſibi facultatem ſcribendi, vacandique ſuis ſtudiis, quae ſecum ad extremam uſque aetatem victura ſperaverat. Nequid vero intentatum relinqueret, quod ad levandum infortunium conducere poſſet, medici conſilio aquam, quae ex Thermis Piſanis trahitur, perpotare coepit. Movit haec urinam, ſtomachique dolores, neque multo poſt apoplexis iterum oppreſſit Bertium, dum ſedens in clauſtro ſui Piſani coenobii quotidianas preces Deo perſolveret, dieque nono ille conſumptus eſt. Et verbis & nutibus (nam poſt biduum loquelam amiſit) opinionem

confirmavit, quam omnes habebant de ſumma illius in Deum pietate. Delatae fuerunt ſolemnes exequiae in diem XXX. poſt mortem, quod haec acciderat feria V. majoris Hebdomadae. Mortuo ſepulcri monumentum in aede S. Nicolai poſitum fuit cum hac inſcriptione:

D. O. M.

JOANNI LAVRENTIO BERTIO
ETRVSCO
FRATRI EREMITAE AVGVSTINIANO
INGENIO DOCTRINA AC LINGVARVM
NOTITIA CLARO
QVI AVGVSTINIANAE FAMILIAE
HONORIBVS PERFVNCTVS
TVM MODERATORIS STVDIORVM
TVM ASSISTENTIS GENERALIS
TVM PRAEFECTI BIBLIOTHECAE
ANGELICAE IN VRBE
OMNIBVS LITTERARVM AMATORIBVS
AC IPSI BENEDICTO PONTIFICI MAXIMO
APPRIME CARVS
PRAECLARAM DE SE MEMORIAM

Digitized by Google

IN VRBE RELIQVIT
IDEMQVE
IN ETRVRIAM REVOCATVS
VT ECCLESIASTICAM HISTORIAM
IN ACADEMIA PISANA PVBLICE
DOCERET
ATQVE AB IMPERATORE CAESARE
FRANCISCO I. MAGNO ETRVRIAE
DVCE THEOLOGVS CAESAREVS
APPELLATVS
ACADEMIAM IPSAM MAGNORVM
HOMINVM PARENTEM
EGREGIIS ET INGENII ET MVLTIJVGIS
ERVDITIONIS
MONVMENTIS NOBILITAVIT
SANCTISSIMIQVE PARENTIS
AVGVSTINI
TVTISSIMA ET INCONCVSSA DOGMATA
NON MODO
AB IMPETV ADVERSARIORVM
STRENVE DEFENDIT
SED LVCVBRATIONES SVAS
BENEDICTO XIV. P. M.
PROBAVIT AB EOQVE AMPLISSIMVM
DOCTRINAE CATHOLICAE

Digitized by Google

DEFENSORIS TESTIMONIVM HABVIT
VIRO
DE AVGVSTINIANA SCHOLA
OPTIME MERITO
SODALES
GRATI ANIMI MONVMENTVM
HOC MOERENTES POSVERE.
VIXIT ANNOS LXXI. OBIIT PISIS
VI. KAL. APRIL.
A. C. CIↃ IↃCCLXVI.

Multa in hoc commentariolo ſparſimus, quae pertinent ad mores Bertii declarandos. Superſunt & alia nonnulla ſcitu digna, quae breviter hoc loco exponemus. Quae ſunt religioſi hominis inſtituta, quantum ejus neceſſariae occupationes patiebantur, ſancte ſemper ſervavit. Cum eſſet ſimplex & apertus non ſolum aberant ab eo ſimulationes & machinae, ſed etiam calliditas intelligendi aliena artificia ad praecavendum: nam ut quiſque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur. Moderatus non efferebat inſolenter doctrinam ſuam, nec niſi invitatus de theologicis rebus loquebatur.

Digitized by Google

Natura formatus erat ad lenitatem atque manſuetudinem. Dicebat tamen minime ſibi virum videri eum, qui neſciret iraſci in repellendis a ſe ſe injuſtis atque injurioſis reprehenſionibus criminationibuſque ; laudandamque eſſe tanquam cotem fortitudinis iram illam, quae ſuſcipitur pro recta morum diſciplina, ſanctiſſimiſque inſtitutis defendendis. Quamobrem quandoque Bertius adeo commovebatur, ſiquis ſibi vel inſuſurraſſet nomina adverſariorum ſuorum, ut haec viderentur omnem illi ex animo, ut verbis Ennii utar *, expectorare manſuetudinem. De reliquo juvare omnes quibus rebus poterat, cupiebat Bertius, nec ſemel, quantum coenobitae fas fuit, indigentes virgines, dote attributa, in matrimonium collocavit. Quiſquis vero diſcipulorum ſuorum aliquid in ſe voluntatis oſtendiſſet, & ad cubiculum ſuum ventitaſſet, hunc in amicorum loco habebat. Quis vero illo magis diligens magisque laborioſus in inſtituenda juventute? Quam ſi languere, nec perinde atque debebat in laudis

* Apud Cic. lib. IV. Tuſcul. quaeſt.

& gloriae cupiditate verſari vidiſſet, nulla non adhibebat incitamenta ad illius exacuendam induſtriam. Poterat & ſeipſum exemplum praebere, qui nunquam ſe vinci patiebatur opificum antelucana induſtria, plurimasque diei horas conſumebat in ſtudio, a quo occupationibusque magiſterii cum diſceſſiſſet, non illum injuria (libet interdum uti Graecis verbis a Cicerone uſurpatis) α'πρακτο'τατον dixiſſes. Non fugiebat ſocietatem amicorum, quin immo requirebat, hancque facetiis exhilarabat. Convivabatur etiam jucunde propter vitae conjunctionem. Si vero cum pueris feminiſque verſabatur, illi parebat ſententiae, quae admonet, cum homine ſimplici ſimpliciter agendum.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Joannis Laurentii Bertii Florentini Fratris Eremitae Auguſtiniani Librorum de Theologicis Diſciplinis Tom. VIII. Romae apud Pantheon excudebat Antonius de Rubeis *in* 4. *Non eodem anno prodiere octo haec volumina ; nam I. II. & III. prodierunt an.* 1739. *IV. & V. an.* 1740. *VI. an.* 1742. *VII. an.* 1743. *VIII. an.* 1745.

Auguſtinianum Syſtema de gratia ab iniqua Bajani, & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum , ſive Refutatio librorum , quorum titulus : Bajaniſmus & Janſeniſmus redivivi in ſcriptis PP. FF. Bellellii, & Bertii Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, eodem , qui ſecundo loco inſimulatur , Auctore , Pars prima , in qua Bajaniſmi refellitur criminatio . Romae apud Jo. Mariam Salvionum typographum Vaticanum 1747. in 4.

---- Pars altera , in qua Janſenianae haereſeos calumnia contunditur . *Edita eſt eodem anno .*

Ragionamento apologetico di F. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano al dottiſſimo Padre Franceſcantonio Zaccaria della venerabil Compagnia di Gesù . In Torino 1751. in 8. *Minime liber editus fuit Auguſtae Taurinorum , ſed Lucae a typographo Philippo Maria Benedino , neque multo poſt iterum Venetiis a Recurtio.*

Diſinganno del P. Fulgenzio Moneta da Bagnone all' Autore dell' opera Intitolata; Storia Letteraria d' Italia interno alla Lettera nel IV. volume inſerita ,

e ad altri ſcorſi di penna dello ſteſſo Scrittore contro un Agoſtiniano Apologiſta. *Zacarias partibus ſuis nimium favens Hiſtoriam conſcripſit*. Evagrio lib. III. cap. VII. Arbenga 1753. in 4. *Opus hoc typis impreſſum creditur Aretii a Michaele Bellotto*.

Joannis Laurentii Bertii Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſive Diſſertationes Eccleſiaſticae, quas habuit in Archigymnaſio Piſano ex MS. Auctoris ſchedis ante mortem communicatis, nunc primum collectae, chronologico ordine digeſtae, atque in IV. tomos diſtributae, una cum iis, quae jampridem vulgatae fuerunt, quaeque nunc primum ab Auctore ſecundis curis recognitae, & pluribus additamentis locupletatae ſunt, adjecto etiam copioſiſſimo rerum indice. Baſſani apud Remondinos 1769. Tomi IV. in fol.

---- de Haereſibus trium priorum ſaeculorum. Baſſani apud Remond. 1769. 12. *Hujuſmodi diſſertationum, ſeu Hiſtoriae Eccleſiaſticae tria volumina in 4. edita fuerant anno 1753*. Florentiae apud Andream Bonduccium.

In opuſculum inſcriptum: Reverendiſſimi Joannis Languet Archiepiſcopi Senonenſis judicium de operibus Theologicis FF. Bellelli & Bertii, aequiſſima hujus Expoſtulatio. Liburni typis Antonii Sandini & Sociorum 1756. in 4.

Alcuni apologetici ſcritti contro l'Autore della Storia letteraria d'Italia Parte I. In Napoli 1757.

---- Parte II *Eodem anno. In prima parte hujusce operis extant judicia ſeu obſervationes Cardinalium Fortunati Tamburini, & Joachimi Beſottii, quibus ab*

omni ſuſpicione vindicantur Opera Fulgentii Bellellii, & *Laurentii Bertii. In calce vero libri extat epiſtola quaedam, qua Bertius perſuadere conatur ſe minime auctorem eſſe* delle Lettere di Fra Guidone.

De geſtis S. Auguſtini Latinorum Patrum nobiliſſimi, librisque ab eodem conſcriptis Commentarius editus ab humillimo ejus Filio F. Joanne Laurentio Berti. Accedit de Sanctiſſima ejusdem S. Auguſtini parente Monica, & quibusdam aliis ipſi neceſſitudine, religioſae vitae profeſſione conjunctis hiſtorica lucubratio. Venetiis 1756. excudebat Antonius Baſſaneſe in 4.

Della dottrina teologica contenuta nella divina Commedia del celebratiſſimo Fiorentino poeta Dante Alighieri diſſertazioni III. del P. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano. *Extant in Vol. III. Operum Dantis, quae Venetiis edidit Antonius Zatta an.* 1757.

Proſe volgari di Fra Gianlorenzo Berti Agoſtiniano dedicate al merito ſublime di ſua Eccellenza il Sig. Cav. Gaetano Antinori priore di Orvieto, Conſigliere di Stato e di Reggenza, e Segretario di guerra per S. M. Imp. in Toſcana. In Firenze 1759. appreſſo Andrea Bonducci.

Eccleſiaſticae Hiſtoriae Breviarium pars I., quae complectitur chronologiae Rudimenta, & decem priorum ſaeculorum Synopſim. Piſis A. D. 1760. Jo. Paulus Giovanellius cum Sociis Typographus almae Piſanae Academiae excudebat.

—— Pars altera, quae progreditur uſque ad annum vulgaris Aerae 1760. Piſis eodem anno.

Digitized by Google

Conſulto teologico fatto in difeſa dell' inneſto del vajolo. In Milano 1762. appreſſo Giuſeppe Galeazzi in 4. *De hoc argumento ſcripſit etiam Italicam epiſtolam, quae relata eſt in librum, cui titulus:* Obſervationes nonnullae cum litteris variorum ad ea, quae ſcripta ſunt de Ab. Hyacintho ex Comitibus *de Variolis*.

Riſpoſta di Fra Paraclito Livorneſe con le annotazioni di Fra Andrea da Fuecchio ai ſonetti di Fra Giovanni Zoccolante Veneziano. Lugano 1763. in 8.

Panegirici e ragionamenti ſagri e profani del P. M. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano pubblico Profeſſore nell' Univerſità di Piſa, e Teologo di S. M. Ceſarea. In Firenze 1764. a ſpeſe del Remondini. *Non modo ſumptibus, ſed & typis Joſephi Remondini editus eſt liber Baſſani. Nonnullae harum orationum ſeparatim editae antea fuerant.*

Auguſtini Latinorum Patrum nobiliſſimi Quaeſtionum de ſcientia, de voluntate, & de providentia Dei, nec non de praedeſtinatione ac reprobatione, atque de gratia Reparatoris Dilucidatio, Auctore Fratre Jo. Laurentio Berti Auguſtinianenſi Eremita; Pars I. Piſis anno 1766. ex Typographia Auguſtini Pizzorno nuper erecta.

—— Pars altera. De gratia Reparatoris Dilucidatio. Eodem anno.

Canzone. Extat nella ſcelta di Canzoni &c. compilata dal P. Teobaldo Ceva Carmelitano, ed accreſciuta &c. In Venezia appreſſo Antonio Baſſaneſe 1756. in 8.

Digitized by Google

Lettera ſopra la poeſia. *Extat in Opere, quod inſcribitur*; I pregi della poeſia del P. D. Felice Amadeo Franchi Monaco Caſſinenſe. In Firenze per Andrea Bonducci 1758. in 4.

Lettera di Fra Guidone Zoccolante a Frate Zaccaria Geſuita, nella quale ſi dimoſtra chi ſieno quei Religioſi, che debbonſi chiamare Frati. 1751. In Coſmopoli all' inſegna delle Stelle.

Lettera ſeconda di &c. in cui ragionaſi della proibizione della biblioteca Gianſeniana. In Filippopoli all' inſegna del Sole 1756.

Lettera terza, la quale ſerve di apologia al Reverendiſſimo Padre Segretario della Congregazione dell' Indice, e altresì alla lettera precedente. In Nicopoli all' inſegna della Luna 1756. *Sunt qui negant Bettium fuiſſe trium harum epiſtolarum auctorem*.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Antonino Valsechio

S. P. D.

Quod me hortaris, doctiſſime Valſechi, ut vitam conſcribam Bernardi Mariae de Rubeis collegae & praeceptoris tui, currentem tu quidem. Etenim non dubito, quin, ſi numerandi ii eſſent, qui de ſacris litteris apud nos magis meriti ſunt, in principibus de Rubeis poneretur, & contendere is dignitate poſſet cum celebrioribus Gallis Franciſco Combeſiſio, Natale Alexandro, Michaele Lequienio aliisque, qui tantam famam Dominicanae familiae addiderunt. Horum imagines cum ipſe intueretur, ajebat animum ſibi ad virtutem accendi, neque hanc flammam prius in ſe ſedari, quam eorum gloriam adaequaſſet. Tute ipſe quoque virtutis diſciplinam meliorem reperiſti nullam, quam contemplationem atque imitationem ſummorum hominum, gratulandumque tibi ex animo eſt, quod cum ingenium inſtitutionemque voluntati parem

Digitized by Google

habueris, *talis*, *qualem te eſſe optabas*, *evaſeris*. *Non audeo dicere de te tuique ſimilibus*, *qui toti estis in noſtris ſanctiſſimis dogmatibus defendendis*, *exſecandaque peſte aliqua hominum tanquam ſtruma Catholicae reipublicae*, *quod verear*, *ne talium perſonarum*, *quae divina quadam vi praeditae eſſe videntur*, *imminuam gloriam*. *Cupio equidem multos in hoc doctrinae genere extare perfectos ſcriptores*, *qui muniant communem arcem bonorum*, *obſtruantque perfugia improborum*. *Vos religioſarum familiarum Praesides*, *vos*, *inquam*, *imploro atque obteſtor*, *ut quoniam multos non ſolum ingenio & doctrina*, *ſed etiam otio ſtudioque abundantes habere facile poteſtis*, *veſtros ſic inſtituatis adoleſcentes*, *ne aliquando doleant ſe oleum atque operam perdidiſſe in ediſcendis meris nugis atque ineptiis*. *Reſpicite non quid ſuperioribus temporibus actum*, *ſed quid noſtris aptum ſit*, *maximeque conveniat*; *cogitate quod ſi nunc reviviſcerent magna illa ingenia*, *Aquinates*, *Alberti Magni*, *Scoti*, *ceterique*, *qui* Nominalium & Realium, Thomiſtarum & Scotiſtarum, Sententiariorum, & Quodlibetariorum *rixosis familiis nomina dederunt*, *diſputan-*

dumque iis eſſet cum illis, qui religioni prope bellum indixere, non refugerent a recentiorum philoſophia tanquam ab impietatis ſcopulo, artem criticam & vel ipſas mathematicas diſciplinas, quae plurimum valent ad acuendum moderandumque ingenium, ſedulo excolerent, non contemnerent elegantiam & ornatum orationis, non eſſent ſurdi in iis linguis, in quibus doctrina aliqua continetur, ſacram & profanam eruditionem e fontibus haurirent, & perfecte callerent non modo quae de juſtitia & fide, de frangendis cupiditatibus, deque conformandis hominum moribus, ſed & quae de inſtituendis civitatibus, de ſcribendis legibus, de ſocietatis humanae origine atque vinculis, deque hominum juribus, facultatibus atque officiis a philoſophis tradi ſolent. Quis ignorat ſaepiſſime uſuvenire, ut quae in theologica diſputatione verſantur, erui debeant ex majorum memoria atque annalium vetuſtate? Quapropter qui neſciat de hiſtoria veteri judicare, mendaces narrationes a veracibus ſecernere, tempora cum temporibus, mores cum moribus, rem cum re comparare, omnemque antiquitatis memoriam in numerato habere, eum vix theologi nomine dignum arbitrabimur. Nemo ſane te

ne te

*ne te melius novit, quam uberem gloriae meſſem ex hoc campo collegerit de Rubeis tuus; ex ejuſque ſcriptis immortalitate digniſſimis quilibet facile judicare poterit, quam late pateat hiſtoriae utilitas, & num ea ſive concionando, ſive diſputando, ſive ſacras litteras exponendo ignorari non ſine imprudentia modo, ſed ne ſine imperitia quidem ſingulari poſſit. In ea nunc devenimus tempora (quod dolentiſſime recordamur) quibus portenta prope omnia ac prodigia, quae ad confirmandam Catholicae religionis veritatem non mediocriter valent, multi conantur rejicere. Horum impudiciſſimam impudentiam ſi quis reprimendam ſuſceperit, errabit & vagabitur latius, niſi argumenta ex hiſtoriae monumentis colliget; neque, ut unam rem exempli cauſſa ponamus, aliter ſe geſsere, qui hoc ſibi ſumpſerunt, ut Eraſmum convincerent negantem in Chriſti morte tenebras ſuper univerſam terram factas fuiſſe. Innumera ſunt exempla errorum, qui ex hiſtoriae ignoratione dimanarunt; atque horum quosdam dum perſequitur Auguſtinus *, il-*

* Lib. de doct. Chriſt. II. c. 28.

lud conficere videtur, veriſſime dictum a Cicerone hiſtoriam magiſtram vitae eſſe & lucem veritatis, neque illam a theologia ullo modo poſſe ſejungi. Vides me de praeceptoris tui laudibus loqui, cum eruditionem & notitiam antiquitatis in homine theologo extollo; & hoc praeconium a me quoque illi deberi exiſtimavi, ne videar plane defuiſſe voluntati tuae, qui pro jure noſtrae amicitiae commentariolum de ejusdem vita jamdiu a me exigis. Non detrectavi onus, manusque jam operi admoveram. Sed cum ſignificaſſet mihi Franciſcus Maria Pollidorius collega tuus, cujus noſti in Latine ſcribendo elegantiam, cupere ſe ſe hominis Dominicani vitam litteris conſignare, ei ſatisfaciendum putavi, ne in recuſatione aut dùrus, aut ambitioſus, aut minus de viri in omni genere virtutis & doctrinae excellentis, qualis profecto de Rubeis fuit, gloria ſollicitus eſſe viderer. Vale.

Piſis Kal. Novemb. MDCCLXXXIV.

Digitized by Google

Bernardus Maria de Rubeis

Bernardus Maria de Rubeis Forojulenſis Ordinis Praedicatorum magnam reliquit ſui famam, multis editis libris, multisque virtutibus partam, qui cum a pleriſque clariſſimis viris, tum eximie a Joanne Garampio, quo tempore is Varſaviae verſabatur Nuncius Summi Pontificis ad Regem Poloniae, ſingulari epiſtola collaudatus eſt. Pater ejus Antonius generoſus fuit. Is uxorem Annam Frumentinam Forojulenſem civem duxit, ex qua natus eſt Bernardus anno MDCLXXXVII. ſexto Idus Januarias, & in Baptiſmate Joannes Franciſcus appellatus. Qui poſteaquam in domo paterna humanioribus litteris a Joanne Baptiſta Linceo, docendi genere ac Latina poeſi Forojulienſibus probato, eruditus fuit, cum judicaſſet, ſe commodius ſempiternae ſaluti ſuae conſulere, ſtudiiſque ſacris dare operam apud Fratres Praedicatores poſſe, horum Ordinem Coneglanenſi in coenobio (quod ad Venetam B. Jacobi Salomonii Congregationem pertinet)

profeſſus eſt annos natus decem ſeptemque. Paucis poſt diebus Florentiam venit, ut a ſociis Praedicatoribus Congregationis Sancti Marci philoſophicis diſciplinis erudiretur. Nam plerique eorum doctrinae laude praeſtabant, quo in numero erant adoleſcentes Monelia & Urſius. Deinde cum ad ſuos remigraſſet, Venetiis in coenobio SS. Roſarii animum ad theologiae ſtudium ſic adjunxit, ut cum clarius, quam condiſcipuli, explendeſceret, vix quatuor exactis annis, philoſophiae dictus fuit ac theologiae praeceptor. Philoſophiam docuit annis tribus, theologiam amplius duodecim; eoque doctore uſi ſunt, praeter ceteros, illuſtres ſui Ordinis alumni Contarenus, Daniel & Nicolaus Concina, Patuzzius, Finettus, & Antoninus Valſechius, qui libris ſuis ſtrenue copioſeque impugnare pergit conantes his temporibus omnem tollere religionem. Interim Rubeus omnibus erat cariſſimus, non minus propter ingenium docile & come, quam propter miram quamdam nativam eloquentiam non adscitam. Quamobrem ab Ermenegildo Tonello Ordinis Praedicatorum anno MDCCXVIII. deductus eſt Au-

guſtam Vindelicorum, procurandorum negotiorum coenobii Cormonenſis cauſſa. Qua in urbe, prout ipſe ſtudioſus erat litterarum, indicem confecit auctorum Dominicanorum, quorum opera theologica manu ſcripta in bibliotheca Caeſarea ſervantur, & amicitiam ſibi cum viris doctiſſimis peperit, Apoſtolo Zeno in primis, praefectiſque ejusdem bibliothecae Joanne Benedicto Gentilotto, & Alexandro Riccardo. Cum poſt non multo Venetias rediiſſet, Lutetiam Pariſiorum anno MDCCXXII. simul cum Nicolao Foſcareno & Laurentio Tiepolo profectus eſt. Nam hi nobiliſſimi ac ſapientiſſimi viri Senatus Veneti conſulto delecti, qui Ludovico XV. initum regnum gratularentur, illum obtinere apud ipſos theologi locum voluerunt; quae honorifica potius appellatio dicenda eſt, quam theologum ejusmodi legatio poſtularet. Quo factum eſt, ut ille intima eorum familiaritate, quoad vixerunt, uteretur, ac praeſertim Tiepoli, a quo mirum in modum ſuſpiciebatur. Lutetiae quinque circiter menſes moratus, cum urbana officia Legatis praeſtaret, omnia reliqua tempora colloquiis cum viris

doctrina excellentibus tribuit. In eo erant tum numero Jacobus Echardus & Michael Lequienus Ordinis Praedicatorum, quos propter idem vitae inſtitutum facilius, ac deinde abſens litteris coluit. Quam carus Lequieno fuerit, inde conjici poterit, quod ille manu ſcriptam Diſſertationem ei dono dedit, qua oſtendit, Georgium Bullum pro Fide Nicaena ſcribentem, etſi nihil peccare contra Catholicam religionem, nonnulla tamen habere, quae doctis probata eſſe theologis non poſsunt. Complura vero exſcripsit cum ejusdem Lequieni, tum aliorum Gallorum opuſcula uſui ſibi aliquando futura. Neque minus aliorum Ordinum alumnos, qui in celebritate erant, colere conſuevit, ac in primis Montfauconium, Soucetium, Harduinum. Sed cum hoc, quem poſtremo loco nominavimus, familiaritatem habuit frequentiorem. Nam nullus fere dies temere interceſſit, quo non ad eum adiret, & quae ſimul colloquerentur, non in adverſaria referret: cumque Harduinus palam feciſſet ſingularem ſuam erga Rubeum benevolentiam, fuerunt qui irridendo dicerent, eum conari tradere Italo illam, mi-

rificam ſcilicet, criticae artis ſuae clavim. Poſtquam domum reditum eſt, de theologia diſputare perrexit, ac juventuti tradere. Sed anno tandem MDCCXXX., cum multis curis diſtentus perfungi diligenter, ut par erat, eo munere ſe non poſſe intellexiſſet, vacationem a gymnaſio impetravit. Nam cum doctrinae, conſiliique fama illuſtraretur, plerique, auctoritate praeſertim, & dignitate praeſtantes viri, ſi qua res major fieret, aut difficilis theologica aut philologica quaeſtio eſſet, eum ad ſe arceſſere, aut ad eum adire ſolebant, ut ejusdem ſententiam cognoſcerent, ac ſaepe opera uterentur. Praeterea juvandae ſuis libris rei litteratorum publicae cupidus, in iis conficiendis plurimum ſtudii conſumebat, quod a ſe vulgatos probari viris doctis conſpiceret. Primum vulgarat anno MDCCXXIV., ut errare eos oſtenderet, qui pugnabant, Thomam Aquinatem fuiſſe Monachum Benedictinum in Monaſterio Montis Caſini, antequam in Ordinem cooptaretur Praedicatorum. Quem librum cum paucos poſt dies, quam Anonymus emiſit *hiſtoricam Diſquiſitionem de Monachatu Divi Thomae*

ediidiſſet multa induſtria & diligentia, maximi ei plauſus, a ſociis praeſertim Praedicatorum, dati ſunt. Docet autem Rubeus, puerulum Thomam Caſinenſibus pietate ac litteris erudiendum traditum quidem fuiſſe; ſed priuſquam pubes eſſet, ſuorum parentum juſſu demigraſſe Neapolim, eaque in urbe adſcriptum in Ordinem Praedicatorum fuiſſe. Nunc quoque nobilis pueruli in nonnullis Monaſteriis Benedictinorum educari ſolent, ex quibus non omnes videmus Monaſticae ejus vitae inſtitutum ſequi. Anno deinde MDCCXXVIII. Rubeus duodecim ediderat libros Facundi Epiſcopi Hermianenſis pro trium capitulorum defenſione, an. vero MDCCXXIX. & Diſſertationem de ſententia in Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum a Patribus Synodi Romanae, Summo Pontifice Felice III., lata, & Monumenta ſelecta Veneti coenobii S. Dominici (quod opuſculum Joannis Dominici Armani prae ſe fert titulum) & Acta Synodi Mantuanae anno DCCCXXVII. celebratae. Facundi libros, iterum edendos Tomo II. operum variorum Jacobi Sirmondi, diligenter ex vetuſtiſſi-

mo codice Veronae ſervato deſcriptos correxit, tamque multis auxit *variantibus lectionibus* a clariſſimo viro Joſepho Blanchinio acceptis (quarum nonnullas ſuis adnotationibus explicavit) ut facile exiſtimari poſſit, novum fuiſſe vulgatum opus. Acacii autem hiſtoriam ſic ab initio perſecutus eſt, ut quibuſque rebus ſtudioſius notatis, expoſitaque *epiſtola de vitanda communione Acacii* a Scipione Maffejo paullo ante id tempus vulgata, plane oſtendit, Acacium non amplius quam ſemel fuiſſe devotum. Interim monumenta inquirebat, quae uſui ſibi eſſe poterant ad ſcribendam Aquilejenſem hiſtoriam; cumque ad hanc pertinerent Acta Synodi Mantuanae laudata a Baronio in Annalibus, eadem ex codice deſcripta Vallicellano adnotationibus illuſtravit, inque Tomum Conciliorum IX., quae tunc Venetiis edebantur, tranſtulit. Neque vero haec tantum laus Rubeo tribuenda eſt vulgatorum iſtiusmodi Actorum, quod in prioribus editionibus Conciliorum deſiderentur, ſed etiam *animadverſionum* in alia nonnulla Concilia, ac praecipue in Forojulenſe a Gregorio XII. Summo

Pontifice habitum. Quas animadverſiones & reliqua, quae in vulgus edita ſunt, opera poſt vacationem a gymnaſio confecit. Jam vero de his quoque proponendum eſſe hoc hoc loco videtur, ne a prioribus ſejungantur. Maxime celebratur de Monumentis Eccleſiae Aquilejenſis opus, CXX. concluſum capitibus, & Patriarcharum Aquilejenſium, rerumque Forojulienſium chronicis. Quod qui legat, non multum deſideret ejus Eccleſiae a S. Marco Evangeliſta uſque ad Dionyſium Delphinum Patriarcham anno MDCCXXXIV. vita functum contextam hiſtoriam. Illius enim originem, diſciplinam, honores, ritus, antiſtitum ſucceſſiones, reſque geſtas, ſynodos, viros pietate, doctrina, dignitatibus illuſtres, reique publicae mutationes in eo volumine ſic expoſuit, ut ſingula ſuo tempore ſint notata. Praeclariora ſunt quae ſcribit de Metropolitica dignitate deque ſchiſmate. Primam extremo fere ſaeculo IV. coepiſſe docet, quo tempore talis dignitas tributa Eccleſiae Mediolanenſi fuit. De ſchiſmate vero, quam anno MDCCXXXII. ediderat, diſſertationem tranſcribit accuratius tamen compo-

Digitized by Google

ſitam atque copioſius. Praeclara quoque ſunt, quae prodit de regione Forojulienſi, totaque Venetia appellata Auſtria, de Aquilejenſi Metropoli divisa in Metropolitas duos Aquilejenſem, atque Gradenſem, de ſchiſmate ſublato Sergii Summi Pontificis opera, deque Patriarchatus Aquilejenſis origine, ut ſilentio reliqua praetermittamus, quod longum & difficile ſit omnia perſequi. Illud unum intelligi volumus, Bernardum de Rubeis cum ceteras, tum hanc de Patriarchatu quaeſtionem perquam diligentiſſime explicaſſe, in qua demonſtrat, ſchiſma in cauſſa fuiſſe, ut Epiſcopi Aquilejenſes atque Gradenſes, indulgentia Pontificum Maximorum, Patriarchae appellarentur. Hanc Petrus in primis, & Hieronymus Ballerinii graviſſimi auctores ſententiam probant, Rubeumque ſummis laudibus efferunt. Cujus voluminis, probati univerſis doctrina excellentibus viris, cum complura poſſumus proferre teſtimonia, uno erimus contenti Ludovici Antonii Muratorii, quod ejus ad judicium jure ac merito libri referebantur. Is VI. Non. Decembris anno MDCCXL. ſcripſit ad Rubeum. „ Cognoram

„ quae tua eſſet judicii gravitas, quae ele-
„ gantia orationis, quae diligentia & ſtudium
„ in pertractandis explicandiſque accurate, ut
„ debent, rebus. Sed hoc in opere viciſti opi-
„ nionem meam. Nam etſi Eccleſiae Aquilejen-
„ ſis tabularium copia careat monumentorum,
„ tu tamen ſic vitas Patriarcharum expoſui-
„ ſti, ut critica arte tua, qua te multum va-
„ lere ex aliis libris tuis intelligebam, a fabu-
„ lis vera ſcienter ſecreris„. Ad hiſtoriam pertinent Aquilejenſem Diſſertationes de nummis Patriarcharum Aquilejenſium duae, quas Rubeus IX. fere poſt anno in vulgus edidit. De iis nonnulla ſcripſerat in eadem hiſtoria, quo loco retulit poteſtatem cudendorum nummorum Poponi Patriarchae factam a Conrado I. Imperatore & Germaniae Rege. At praeteriverat perſcriptas juſſu Nicolai & Ludovici Patriarcharum tabulas, in quibus confectae cum monetario pactiones continebantur, propterea quod incognitis ſibi vocabulis implicatiſque ſententiis exprimerentur. Itaque cum & acrius deinde ſpeculando, & a peritis inquirendo, ſatis explorate eorum notitiam percepiſſet, primam ſcri-

pſit Diſſertationem hortatu Ludovici Antonii Muratorii, in qua iis explicatis tabulis & nummis Aquilejenſibus amplius quinquaginta, quos aere inciſos exhibet, adeo dilucide ac erudite de re nummaria non Aquilejenſium Patriarcharum modo, ſed etiam complurium urbium Italiae differit, ut nihil nobilius; & poſſit judicari, Rubeum multa protuliſſe, quae deſiderantur cum in Diſſertationibus de Antiquitatibus Italiae ejusdem Muratorii, tum in opere Aquilejenſium antiquitatum Bertoli. Quamobrem egregia ea Diſſertatio appellata ab ipſo Muratorio fuit in epiſtola, quam XII. Kal. Novembris anno MDCCXLVII. ad Rubeum miſit: „ nam tot, „ inquit, tamque praeclara provinciae Forojulienſis monumenta emiſiſti, ſciteque explicaſti „ tot nummorum genera, vocabula, valorem; „ nihil e manibus tuis niſi perfectum„. Ac ne uni Muratorio lectores credant, en clariſſimi viri Julii Caroli Schlaegeri ad Rubeum miſſa his verbis epiſtola. „ Aperte profiteor, te „ doctore, multum me profeciſſe in arte „ nummaria recentiori. Legi enim cum fru„ ctu ingenti relegique non ſemel cedro di-

„ gnum tuum de Patriarcharum Aquilejen-
„ ſium numiſmatibus commentarium omni-
„ bus, qui ſimile tractare cupiunt argumen-
„ tum, proponendum. Credo, plura hujus
„ generis omnifariae eruditionis tuae inge-
„ niique feliciſſimi extare monumenta, eorum-
„ que penitiorem notitiam habere aveo „.
Alterius Diſſertationis ſcribendae occaſionem Rubeo dederunt ſimiles priorum cum Pagani Patriarchae, tum ejusdem Nicolai litterae, ex quarum explicatione judicandum eſt, illum in prima Diſſertatione plane ad veritatem obſcuriſſima vocabula & implicatiſſimas formulas interpretatum fuiſſe. Anno etiam MDCCLIV. ipſe edidit Diſſertationes duas, quae ad eamdem ſpectant hiſtoriam. Nam cum Juſti Fontanini hiſtoria litteraria Aquilejenſis, cujus ſunt libri quinque, typis edita fuiſſet, comperit a ſe tantum virum in geſtis Rufini referendis vehementer diſſentientem. Itaque primam ſcripſit Diſſertationem *de Turriano, ſeu Tyrannio Rufino Monacho & Presbytero*, in qua a ſe prolatas in volumine monumentorum Aquilejenſium enucleatius declarat, tueturque opiniones, atque

ſententias de Rufini praenomine Turriani, ſeu Tyrannii, de illius patria, baptiſmate, monachatu, amicitia, & ſimultatibus cum S. Hieronymo, itineribus, interpretationibus librorum Origenis, de emortuali magni Athanaſii die, de homiliis Paſchalibus in Eccleſia Alexandrina recitatis, de S. Melania comite Rufini, deque aliis compluribus, quae moleſtum eſt exſcribere, & non neceſſarium. Hoc unum ſatis erit dicere, multa eruditione in ea diſſeri de praecipuis Eccleſiae & Imperii rebus, inclinato jam ſaeculo IV., & ineunte V. geſtis. De eodem Rufino nonnulla Rubeus praeterea ſcripſit adverſus Joſephum Lirutum XIX. *Diſſertationum variae eruditionis capite*. In altera Diſſertatione exhibet veteres Liturgicos, alioſque ſacros ritus nonnullarum Provinciae Forojulienſium Eccleſiarum, eoſque confert cum antiquioribus, ac potiſſimum Romanis, qui Gelaſiani & Gregoriani appellantur. Ponit etiam in medio ritum, quo Rufinus initiatus Baptiſmo fuit. Qua diſſertatione nihil eſſe dulcius poſſe putamus iis, qui iſtiusmodi rituum ſtudiis navant operam. Interim maxima diligentia cu-

rabat, ut nova omnium operum S. Thomae Aquinatis editio Venetiis perficeretur, in volumina diviſorum viginti & octo, quam anno MDCCXLV. ſuſceperat, impulſu ſtudioſorum doctrinae probatae Eccleſiae. Cujuſque prooemium voluminis erat opuſculum, quod Rubeus conficiebat aut declarandi res geſtas Thomae, aut hujus doctrinam & libros tuendi cauſſa: quae opuſcula ſeparatim edita *Admonitiones praevias* dixit, conjunctim *Diſſertationes*. Hae vulgatae anno MDCCL. triginta numerantur, etſi ante eum annum volumina vulgata operum S. Thomae fuiſſent non amplius quam duodecim; quod eſt ſignum diligentiae curaeque conata celeriter perficiendi. De iisdem rebus, quae a pleriſque ſcriptoribus ac praeſertim a Quetiſo & ab Echardo doctiſſimis viris explicatae fuerant, ita multa differit, ut novum confeciſſe opus videatur. Declarat rationes, & tempora geſtorum non S. Thomae modo, ſed complurium etiam virorum illuſtrium Ordinis Praedicatorum accurate docet, quae ſint vera, quae dubia S. Thomae opera, quae temere, quae falſo ei attributa; ac omnes ſolide at-

que

que copioſe refellit illius doctrinae oppugnatores: non eos quidem, qui in ſcholis verſantur, & quorum tam variae ſunt interque ſe diſſidentes opiniones, ſed quos novit aemulos & obtrectatores. Ex iis diſſertationibus elucent maxime nona & trigeſima, quas tantummodo ſummatim percurremus, ne omnia exponendo fatigemus lectores. Nona Orthodoxiam continet Auctoris operum, quae S. Dionyſio Areopagitae omnium conſenſu quondam attribuebantur, praeſertim quo tempore Thomas Aquinas florebat. Quare mirandum non eſſe Thomam & ejus auctoris ſententias proferre ac ſequi conſueviſſe, & librum *de Divinis nominibus* explicaſſe. Perſpicue apparere, auctorem illum non fuiſſe haereticum Apollinariſtam, neque Euthychianum, neque Monophyſitam, ut Lequienus cenſuit, quem Rubeus Pariſiis, ſicut ſupra docuimus, ſummopere coluit, ac doctorem habuit. Sed apud eum plus veritas, quam doctoris ſui ſine ratione valuit auctoritas. In trigeſima vero diſſertatione, confutatis, qui rephendere Thomae doctrinam temere aut injuria auſi ſunt, diſſeritur de illius. Latine

loquendi ſtilo, de ſtudio Graecarum litterarum, & operum Philoſophorum & Sanctorum Patrum, & reliquorum Eccleſiaſticorum Scriptorum, de optima Sacrorum Bibliorum interpretatione, de cauſſa, ob quam Thomas philoſophiam Peripateticam in tradenda theologia adhibuit, deque theologiae cum naturalis, tum revelatae praeclariſſima ab eo tradita methodo & ratione. Sejunctas praeterea ab illarum volumine ſcripſit Rubeus diſſertationes duas, quarum una extat Tomo XXIV. operum Sancti Thomae, exhibetque notata & animadverſa a nonnullis inepte, aut falſe, aut minus accurate in Summa theologica tanti Doctoris; altera Tomo XXV., in qua demonſtratur, eum non fuiſſe expertem & imperitum hiſtoriarum. Jam vero non minus haec editio operum Aquinatis anteponitur prioribus pleriſque omnibus propter eas diſſertationes, quam propter correctionem textus, ut vocant, antea referti mendis ignorantia & negligentia librariorum & typographorum. Quamobrem additae ſunt *variantes lectiones*, ac totae Sacrorum Bibliorum, Sanctorum Patrum, & reliquorum Auctorum

ſententiae, exactius indicatis, in quibus reperiuntur, locis. At quamvis multa diligentia & induſtria Rubei magnopere ſit laudanda, tamen editionem perfici poſſe accuratiorem, & ipſe, prout erat diligens veritatis, teſtatus eſt, taliſque editionis ſpecimen ſe exhibuiſſe ſcripſit. Parem adhibuit diligentiam in ornanda Veneta editione operum Graeco-Latinorum Theophylacti Archiepiſcopi Bulgariae, & eorum, quae Sancti Dionyſii Areopagitae quondam dicebantur. De Theophylacto enim conſcripſit opuſculum initio primi voluminis editum, in quo declarat, qui, a quo ortus, quos honores, ac potiſſimum Archiepiſcopatum Bulgariae, quibuſque temporibus ille cepiſſet, & qua doctrina valuiſſet. Perſequitur autem docte atque erudite initia Eccleſiae Bulgarorum ejuſque Archiepiſcopi vagam auctoritatem, ſingillatim quemcumque librum Theophylacti, ejuſque nonnulla capita doctrinae. Horum primum eſt, humani generis Servatorem Chriſtum in azymo conſecraſſe, quod ei deeſſet fermentatus panis: ſecundum, non procedere Spiritum Sanctum a Patre & Filio, quem errorem maximum Grae-

corum Theophylactum acriter defendentem Rubeus ſtrenue refellit : tertium, nonnullorum animas improborum expiari ſuperſtitum precibus, qua de re commenta opinionum Rubeus ex animis Ruſſorum evellere conatur. Ceterum perſpicue Theophylactum docuiſſe oſtendit, animas nulla criminum macula inquinatas ſtatim frui ſempiterna felicitate in patria Beatorum; re ipſa praeſentem eſſe in Euchariſtia Chriſtum; a Chriſto datum fuiſſe Eccleſiae Primatum Petro; ſed ambigue & perplexe de praedeſtinatione, deque neceſſitate Gratiae diſſeruiſſe. Areopagiticorum quoque operum volumen primum ornavit Rubeus egregio opuſculo. In hoc perſecutus eſt maximam partem eorum, quae de fide Auctoris eorumdem operum nona in diſſertatione ſcripſit, cujus ſummam paullo ante attigimus. Servabatur Venetiis miſſum Lugduno Batavorum exemplum codicis epiſtolarum & opuſculorum Georgii Cyprii, qui & Gregorius dictus eſt, Patriarchae Conſtantinopolitani; quibus in nova editione Veneta hiſtoriae Byzantinae res geſtae Michaelis Paleologi & Andronici Imperatorum memoriae proditae

a Pachymere illuſtrarentur. Sed abſoluta editione, praetermiſſus codex fuit, fortaſſe quod minus bene verſus ex Graeco eſſet. Itaque cum tale exemplum dono datum Rubeo fuiſſet, is primum opuſculum, quod Georgius ſcripſit *de rebus ſuis*, & epiſtolas duas Graece & Latine vulgavit, ſimul cum indice reliquorum omnium opuſculorum & epiſtolarum. Etſi Rubeus expers non erat Graecarum litterarum, tamen an haec ipſe Latine verterit, nos latet. Complures adjunxit adnotationes opuſculo, quod appoſite inſcripſit: *Vita Georgii, ſeu Gregorii Cyprii*; indeque occaſionem nactus illuſtrandi tradita a Pachymere, confecit diſſertationes duas, in quibus complexus eſt & ea, quae, Michaele Paleologo & Andronico Imperatoribus, geſta ſunt in diſcutiendo dogmate proceſſionis Spiritus Sancti a Patre & Filio, ſive per Filium, additaeque Symbolo vocis *Filioque*, & ea, quae ad Conſtantinopolitanorum Patriarcharum chronologicam ſeriem atque ſucceſſionem pertinent. Qua de ſerie clarius quidem, quam Petrus Poſſinus, aliique ſcriptores, propoſuit. Duabus iis Diſſertationibus adjungenda ſunt,

quae in praefatione libri de peccato originali ſcripſit contra Macarium quemdam Graecum abſurda de proceſſione Spiritus Sancti ſomniantem. Vitae Cyprii conjungimus vitam B. Benvenutae virginis tertii Ordinis Praedicatorum ortae Forijulii ex nobiliſſima ſtirpe a Pertica Bojanorum, ſcriptam XIII. extremo ſaeculo, quam non ſolum prooemio Rubeus ornavit, ſed etiam multis referſit notitiis memoria dignis, & complurium nobilium familiarum, in primiſque Bojanae origine. Qua typis vulgata anno MDCCLVII. factum eſt, ut plerique Benvenutae referendae in album Sanctorum deſiderio flagrarent. Quare cum datum Rubeo negotium fuiſſet, ut confici acta curaret, ſolveretque animadverſiones Promotoris Fidei, maximi ejus opera aeſtimata eſt, probatoque cultu, quem immemorabilem appellamus, decreti fuerunt Benvenutae, Pontificis Maximi auctoritate, Beatorum honores. Hiſtoriam praeterea ſcripſit Congregationis ſuae. Adeo autem accurate atque copioſe volumen illud de initiis Congregationis & veterum novorumque coenobiorum, deque viris illuſtribus doctrina, ho-

noribus, pietate perſcriptum eſt, ut nihil in eo non appareat, & plane intelligatur, totius Ordinis Praedicatorum annales uſque ad haec tempora facile ſcribi poſſe, ſi talia volumina ex unaquaque Provincia & Congregatione prodirent. Poſtremum opus in vulgus edidit anno MDCCLXII., quod continet *Diſſertationes variae eruditionis*. Has ſubceſivis temporibus confecit, ut complura, quae monumentis commendarat litterarum, uberius atque ornatius explicando corroborandoque contra ſentientium argumenta confutaret, & nova nonnulla ſubtexeret. Emlynus Anglus in primis, Harduinus & Berruyerus Jeſuitae, Tartarottus, Lirutus & Le-Beufius ei varietatem in ſcribendo ſuppeditarunt, quae magis retinere animos lectorum poteſt; quibus ne moleſti ſimus, ſatis eſt tantummodo Harduinum proferre. Hunc (cujus proſcriptus Commentarius in Novum Teſtamentum fuerat) multa alia peccantem turpiſſime labi Rubeus docet in explicanda vulgatiſſima illa Joannis ſententia: *Tres sunt, qui teſtimonium dant in Caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Nam *Patrem* Harduinus ſcri-

bit nominari tunc coepiſſe, cum *Verbum* unitum humanitati Chriſti fuit: quamobrem in Evangelio ejusdem Joannis legi: *Verbum erat apud Deum*: apud Deum, inquit, non apud Patrem, quia in principio nondum Pater, ſed poſt Incarnationem Verbi tantum. Nihil tam impudenter, tam abſurde, tam monſtroſe ab ullo excogitatum, praeter quam ab Harduino, ab Ario, a Socinianis fuiſſe declarat Rubeus, nihilque tam vehementer repugnare Symbolo Apoſtolorum, conſenſioni Eccleſiae Patrum, divinarum ſententiis Scripturarum. Illud animadverti volumus, Rubeum jam inde ab anno MDCCLV. diſſertationem contra Samuelem Crellium edidiſſe *de tribus in Coelo teſtibus, Patre, & Verbo, & Spiritu Sancto*; in diſſertationibus autem variae eruditionis αὐθεντίαν ejusdem commatis Joannis contra Thomam Emlynum defendiſſe; quod ei, proſcriptis anno MDCCLVIII. libris Berruyeri, qui monſtra opinionum Harduini magna cum offenſione non Orthodoxorum modo, ſed etiam Haereticorum complexus fuit, attulit occaſionem utriuſque impugnandi. Editis a Rubeo libris annumeramus opuſculum

Italice ſcriptum hoc titulo: *Diſcorſo Iſtorico, Cronologico, Diplomatico .... ſopra una pergamena antica Veneziana;* in quo ille expoſuit initium annorum apud Venetos, nonnullas indictiones, plures chronographiae praeceptiones & rationes ſecernendi vera a falſis, dubiis & interpolatis monumenta: & praeterea annumeramus *theologicos Tractatus* duos, quorum unus de peccato originali inſcribitur, alter de charitate. Sunt qui volunt, vulgatos ab eo fuiſſe ob duas cauſſas, primum ut benevolos, objurgatores theologiae, quam philologiae cupidiores, placaret: quamobrem in praefatione libri de peccato originali omnes locos theologiae proprios Rubeum commonſtraſſe in aliis ſuis libris tractatos uberrime; deinde ut ſpecimen daret theologicorum dogmatum, quae multis ille voluminibus complexus fuerat, ſic paratus, ut ea voluminibus quinque Dionyſii Petavii adjungeret, ſuoque labore toti eſſet ſatisfactum dogmaticae theologiae. Nos latet, quaenam gravis Rubeo cauſſa obſtitit, quominus ea volumina in vulgus emiſerit. Unum intelligimus, compluribus minus probatum theo-

Digitized by Google

logis ſpecimen illud fuiſſe. Hactenus de libris; nunc reliqua de ejus vita & moribus perſequemur. Anno tertio, poſtquam impetravit a gymnasio vacationem, obſiſtere non potuit, ne univerſae Congregationis B. Jacobi Salomonii Praefecturam a Thoma Ripollio Magiſtro Ordinis Praedicatorum ſibi delatam acciperet, quam ſic geſſit, ut Fratres exemplo ſuo magis, quam verbo & ad ſervandas leges Ordinis, & ad colendas litteras incitarit. Quo factum eſt, ut complurium coenobiorum ac potiſſimum Forijulii, qua in urbe erat natus, Praefectus praeoptaretur. At ille ſatius eſſe duxit iſtiuſmodi honores non capere, quam Venetiis alio demigrando intermittere occaſionem ſuorum conficiendorum librorum, & minus proſpere ſuae tranquillitati conſulere. Quare Veneti tantummodo Collegii SS. Roſarii (quo adoleſcentes diſciplinae cauſſa non ſolum ex reliquis Congregationis, ſed etiam ex aliis coenobiis Ordinis Praedicatorum convenire ſolebant) & iterum anno MDCCLIII. univerſae ejusdem Congregationis Praefecturas cepit, quod hanc moderari poſſet, quin duobus ipſis annis Ve-

netiis abeſſet, ac vero deberet, Antonini Bremundii Ordinis Magiſtri praecepto. Easdem ob cauſſas neque extraneos honores petiit, neque oblatos accepit. Cum ei in Academia Patavina ſemel atque iterum pateret locus propter gratiam & dignitatem, iis, qui hortabantur, ne repudiaret, quod plurimi valde cuperent, reſpondit, malle ſe Patavino ſtipendio carere, quam diſcere Latinae floſculos linguae, ut ibi par ceteris doctoribus eſſet in explicanda theologia, & non in ſuo nidulo quiete ſtudiis dare operam ſuis. Idem cum Aquilejensem hiſtoriam, ut ſupra docuimus, haberet plane cognitam, unus omnium a Daniele Delphino, tunc Patriarcha Aquilejensi, electus eſt, qui Romam ſe conferret curaturus, ne quid perilluſtris ille Patriarchatus detrimenti caperet. Nam agebatur de conſtituendo *Vicario Apoſtolico*, qui toti Goritiae & Dioeceſi Aquilejenſi reliquae praeeſſet, quae ſub poteſtate erat Auſtriacorum. At Rubeus (etſi Delphini conſilium Senatus Venetus, datis ad eum litteris, vehementer comprobaſſet) cum nullius rei eſſet cupidus niſi moderatae privataeque vitae, noluit ſe

Digitized by Google

civilibus fluctibus committere. Perſuaſit Delphino & Senatui, ſuam operam, ſi quid ipſe poſſet, aeque Venetiis degendo, quam Romae, utilem Reipublicae futuram. Itaque ſine offenſione alterutrius partis Venetiis manſit, omneque ſtudium & diligentiam in re Eccleſiaſtica Aquilejenſi tuenda adhibuit. Quo facto non minus laudata ejus pietas & modeſtia, quam prudentia fuit, ut ſi de exitu divinaſſet. Nam auctoritate Benedicti XIV. P. M. primum Vicarius ille Apoſtolicus conſtitutus eſt, & poſt non multo, extincto Patriarchatu, creati Archiepiſcopatus duo, Goritienſis & Utinenſis. Sed ejus modeſtia naturaliſque bonitas eluxit, cum ſuos libros a reprehenſoribus defendit. Namque non modo non recuſabat, quin alii a ſe diſſentirent, ſed etiam delectabatur lectione oppoſitorum, ac potiſſimum ſi quae illi diligentius conquiſita protuliſſent. Si quae reprehenſa minus ſolide, aut injuria fuiſſe norat, ſic adverſario reſpondit, ſuasque vel ſententias, vel opiniones propugnavit, ut nihil neque contumelioſum, neque inſolens, neque acerbum ſcripſerit, & ſatis habuerit, cur ſic ſentiret,

vel opinaretur, modeſte rationem ſubjicere. Quod eſſe cuique perſpectum poſſe exiſtimamus, ſi legat prooemium *Diſſertationum variae eruditionis*, & quae eo in volumine adverſus Hieronymum Tartarottum diſputavit, ut ab se tradita in hiſtoria Aquilejenſi de S. Marco Evangeliſta, deque hujus diſcipulo Hermagora primo Aquilejae Epiſcopo defenderet. Pari ſe modeſtia & bonitate continenter praebuit, cum in circulo eſſet nedum majorum natu, aut praeſtantium doctrina, aut genere, aut dignitate virorum, ſed etiam aequalium & collegarum coenobitarum. Cuiquam iraſci nefas habebat. Quamobrem etſi imprudenter reprehendi improbarique quidpiam a ſe prolatum intelligeret, tamen ſatius ducebat ferre injuriam, quam ſe iratum oſtendere, & non ſine jurgio & clamore vincere. Qua conſuetudine omnes ſibi devinciebat, & collegas in primis Praedicatores incitabat ad ejuſmodi colendam virtutem; qua ſublata, dari eadem in domo habitantibus non poteſt facultas pro dignitate vivendi. Neceſſe eſt enim animos diſſociari. At praecipuam Rubeus apud collegas habuit laudem

Digitized by Google

conſtantis, & perpetuae curae fugiendi otii. Nulla fere hora temere intercedebat, qua non aliquid aut theologicum, aut hiſtoricum, aut philologicum legeret, aut ſcriberet. Ei rei ſunt indicio praeter eos libros, quos in vulgus fuiſſe editos ſupra docuimus, volumina amplius triginta manu Rubei ſcripta, quae Venetiis apud Patres Praedicatores coenobii SS. Roſarii ſervantur, quorum titulos, abſoluta ejus vitae ſcriptione, proferemus. Multo diligentiorem operam eum contuliſſe credimus in ſuis explicandis ſententiis, quas ab eo Senatus Venetus requirere conſueſcebat. Quod facile judicare poterit is, qui norit prudentiam & gravitatem Venetorum. Plurimum quoque operae ſtudiique contulit ad conficiendos vulgandoſque indices codicum, praeſertim Orientalium, qui Venetiis extant in bibliothecis S. Marci & SS. Joannis & Paulli. Neque vero otioſus erat, cum ruſticandi relaxandique animi cauſſa alio diverteret. Cujus rei hoc afferre teſtimonium poſſum, quod Utini (quam in urbem fere quotannis ſolitus erat ſe ſe conferre, & aliquandiu verſari apud Comitem Franciſcum

Berrettam) ad conventus doctorum virorum quotidie ventitabat, propoſitasque, ut cuique libebat, quaeſtiones philologicas poſtremus omnium explicabat. Sic autem dicendo valebat, & tanta erat doctrina & eloquentia, ut ejus audiendi cupiditate cuncti flagrarent, ac neminem unquam ita diſerte loquentem magis ſuſpicerent. Nemo doctus ac ſapiens vir Venetias veniebat, qui Rubeum non curaret viſere & audire, & non alicujus quaeſtionis explicationem ab eo, tanquam ab oraculo, requireret. Gradenigus, Corrarus, Foscarus, Bragadinus Patriarchae Venetiarum maximae ſibi laudi duxerunt talem habere tamque excellentem virum, qui apud eos Theologi *Clerique Examinatoris* munere fungeretur, quod ejus operam eſſe majorem in modum poſcerent rei Patriarchatus publicae ſalutarem. Jam vero Nuncii, quos Pontifices Maximi Venetias miſerunt, ſaepe Rubei conſilio utebantur, quem ſciebant, priusquam Roma proficiſcerentur, uſu, & ſapientia, & integritate vitae praeſtare; ex quibus Antonium Brancinfortem, Franciſcum Caraſam, & Bernardinum Honoratum, nunc S. R. E. Car-

dinales, honoris cauſſa nomino. Ac Cardinalis quidem Carafa, etſi propter ſuas occupationes minus ſaepe, quam vellet, Rubeo frueretur, tamen hoc vere gloriatur, ſe tantum virum habuiſſe magiſtrum & praeceptorem. Eumdem abſentes quoque complures Epiſcopi, aliique aut honorum gradibus aut doctrina excellentes viri, non Itali modo, ſed etiam Germani, Galli, Hiſpani & colere & conſulere per litteras conſueverunt, atque in primis Carolus Rezzonicus (qui univerſae praefuit Eccleſiae, Clementis XIII. ſumpto nomine) cum Epiſcopus eſſet Patavinorum, & Daniel Delphinus poſtremus Patriarcha Aquilejenſis, deinde Cardinalis, & Archiepiſcopus Utinenſis, & Cardinales Paſſioneus, Quirinus, Gottus, Lucinus, a Lanceis, Urſius. Harum litterarum volumina ſunt novem, ex quibus plane cognoſci poteſt, quam longe lateque Rubei doctrinae fama manarit. Longum eſſet exhibere eidem tributas, quae in eis leguntur, laudes. Quare hoc ſatis erit dictum, Cardinalem Quirinum virum doctiſſimum, cum ad eum in hanc ſen-

tentiam

tentiam ſcripſiſſet: „ in meis conficiendis libris, „ cum mihi opus fuerit, non alium quam te „ adjutorem quaeram, te videntem conſulam: „ eo potiſſimum duce in impugnando Schelornio uſum fuiſſe, & in reliquis ſcribendis libris, ab eodem, ſuae ut praeberet menti lumina petiiſſe. Quamvis talis vir tot tantiſque, ut vidimus, occupationibus diſtineretur, tamen omnes multipliceſque diligenter servare Ordinis ſui leges atque conſuetudines nunquam deſtitit. Iis autem, quae ſunt de jejunio, deque abſtinentia a carnibus ſic paruit, ut nihil de earum ſeveritate, ne in laute quidem paratis prandiis apud Patriarchas & nobiles viros, eo etiam tempore, quo ruſticabatur, unquam remiſerit. Tam parce vero alebatur, ut vix ſuſtentare vitam poſſe videretur. Triginta ipſos annos vino abſtinuit. Qua continentia proſperam cuſtodiri ajebat valetudinem, & effici faciliorem in colendis litteris laborum perpeſſionem. Studioſe curabat, ut in familiaribus collocutionibus, quotidianiſque ſermonibus nihil ex ore ejus exiret, quod ex uſu non eſſet ad

agnitionem animi, & ad recte inſtituendos mores. Paupertatem adeo facile perpeſſus eſt, ut cum propter oblatos honores, & cathedras non mediocrem facere pecuniam poſſet, omnia repudiarit, & in eodem ſemper cubiculo habitarit ſic inſtructo, ut nullum in eo ſignum cupiditatis caducarum rerum, contra omnia patientiae atque abſtinentiae, nullaque in re differret a cubiculo cujusvis coenobitae vere inopis atque privati, praeter libros, quos in illud congerebat ſtudiis obſequendi ſuis cauſſa, non ad oſtentationem. Cum perpetuus eſſet Veneti ſui coenobii bibliothecae Praefectus, hanc quamplurimis, iiſque ſelectis, voluminibus auxit. Sed haec minora perſequi non eſt neceſſe. Plura vero de laude doctrinae Rubei exponere iis curae erit, qui cum eo ſimul vixerunt, & voluminum manu ejusdem ſcriptorum potiuntur. Illud unum adjungam, quod clariſſimus Joſephus Garampius, de quo ſupra mentionem fecimus, ſua in epiſtola ſcripſit, Rubeum uſque ad extremam ſenectutem nunquam ſe a ſtudiis litterarum remi-

ſiſſe, quod nunquam ſe vivere judicaret, niſi quantum poſſet, ſuo labore atque induſtria hominum totiusque Eccleſiae utilitati ſerviret. Quinque ante diebus quam obiit, annos natus VIII. & LXXX. *de modo praeſentiae realis Jeſu Chriſti in Euchariſtia* componens librum, fecit ſcribendi finem. Senectute, non autem morbo conſumptus acquievit Venetiis IV. non. Februarias an. MDCCLXXV. collacrimantibus omnibus bonis propter viri optimi atque doctiſſimi deſiderium.

Digitized by Google

OPERA EDITA

De ſabula Monachatus Benedictini D. Thomae Aquinatis. Reſponſio ad hiſtoricam diſquiſitionem de Monachatu Benedictino S. Thomae Aquinatis apud Caſſinenſes antequam ad Dominicanum Praedicatorum Ordinem ſe transferret: *ſine auctoris nomine in 8. Venetiis 1724. typis Andreae Mercurii. Aucta & ampliata lucem vidit anno 1746. praemiſſa Tom. V. Venetae operum S. Thomae editionis apud Joſephum Bettinellum ſub hoc titulo*: adverſus Monachatum Benedictinum D. Thomae Aquinatis apud Caſſinenſes antequam ad Dominicanum Ordinem ſe transferret Diſſertatio: *Ac tertio demum typis edita proſtat inter* XXX. Diſſertationes Criticas & Apologeticas de geſtis & ſcriptis ac doctrina S. Thomae Aquinatis 1750. apud Jo. Baptiſtam Paſquali.

Facundi Epiſc. Hermianenſis Provinciae Africanae pro defenſione trium capitulorum Concilii Calcedonenſis lib. XII. &c. Nunc in praeſenti editione Veneta cum MS. vetuſtiſſimo Bibliothecae Capituli Veronenſis collati, emendati & ſuppleti. *Extant Tomo II. operum variorum Jacobi Sirmondi. Venetiis 1728. e typographia Bartholomaei Javarina.*

De una ſententia damnationis in Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum poſt quinquennium ſilentii lata in Synodo Romana Felicis Papae III. Diſſertatio, ubi quamplura ad Acacianam hiſtoriam pertinentia ex epiſtola nuper e vetuſto codice Veronenſi

edita, eidemque Felici III. adjudicata illuſtrantur: in 8. Venetiis 1729. e typographia Bartholomaei Javarinâ.

Monumenta ſelecta Conventus S. Dominici Venetiarum: in 8. Venetiis 1729. ex typographia Stephani Tramontini. *Prodiit lucubratio ſub nomine* Dominici Armani *ejusdem Coenobii alumni &c.*

Synodus quae acta eſt in Civitate Mantua anno 1327. pro cauſſa S. Aquilejenſis Eccleſiae, nunc primum ex vetuſto codice Bibliothecae Vallicellanae in lucem edita cum notis Tomo IX. *Venetae Conciliorum editionis* 1729.

Animadverſiones in Concilium a Gregorio XII. celebratum Forijulii, ſeu in civitate Auſtria: Tomo XV. *Venetae Conciliorum editionis* 1731.

De ſchiſmate Eccleſiae Aquilejenſis Diſſertatio hiſtorica. Accedunt Acta Synodi Mantuanae pro cauſſa S. Aquilejenſis Eccleſiae, quae ex vetuſto Codice Bibliothecae Vallicellanae ſecundis curis emendatiora prodeunt cum notis in 8. 1732. *apud Bartholomaeum Javarina Venetiis. Integra, ſed auctior & emendatior monumentis Eccleſiae Aquilejenſis inſerta eſt.*

Monumenta Eccleſiae Aquilejenſis Commentario hiſtorico-chronologico-critico illuſtrata, cum appendice, in qua vetuſta Aquilejenſium Patriarcharum, rerumque Forojulienſium Chronica emendatiora quaedam, alia nunc primum in lucem prodeunt. *Argentinae* (Venetiis) 1740. in fol.

Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici Ordin. Praed. opera Theologica. Editio altera Veneta, ad

plurima exempla comparata & emendata. Accedunt vita ſeu elogium ejus a Fr. Jacobo Echardo diligentiſſime concinnatum, & Fr. Bernardi Mariae de Rubeis in ſingula opera admonitiones praeviae. *Quae variantes lectiones in margine deſumptae ſunt vel ex codicibus MSS. a viris doctiſſimis, vel nunc primum ex vetuſtis editionibus. Incepta editio an. 1745. abſoluta an. 1760. Tomis in 4. conſtat XXVIII. Venetiis apud Simonem Occhi.*

De nummis Patriarcharum Aquilejenſium Diſſertatio *in 8. Venetiis 1747. typis Jo. Baptiſtae Paſquali.*

De nummis Patriarcharum Aquilejenſium Diſſertatio altera *in 8. Venetiis 1749. typis Jo. Baptiſtae Paſquali.*

Diſcorſo Iſtorico-cronologico-diplomatico . . . ſopra una pergamena antica Veneziana *in 8. Venezia 1749. preſſo Simone Occhi.*

De geſtis & ſcriptis ac doctrina S. Thomae Aquinatis. Diſſertationes criticae & apologeticae in fol. Venetiis 1750. typis Jo. Baptiſtae Paſquali. *Triginta numerantur diſſertationes, quae ut ſimul collectae prodirent, plurium votum fuit. Memoranda eſt* Diſſertatio IX., *cujus titulus*: De fide Auctoris operum, quae vulgo Areopagitica dicuntur, an Orthodoxus fuerit, an Haereticus, vel Apollinariſta, vel Eutychianus, ſeu Monophyſita. *Sententia refellitur Michaelis Lequieni. Accedunt alias duas diſſertationes, quae habentur in editione operum S. Thomae in 4. Tom. XXIV. & XXV.*

De rebus Congregationis ſub titulo Beati Jacobi

Salomonii in Provincia S. Dominici Venetiarum erectae Ordinis Praedicatorum Commentarius hiſtoricus, in quo Regularis diſciplinae in Ordine Praedicatorum inſtauratio, primordia ejusdem Congregationis & incrementa, vetuſtae Coenobiorum origines, novorumque erectiones, viri etiam moribus, dignitatibus, litteris illuſtres, aliaque variae eruditionis argumenta enarrantur, recenſentur, illuſtrantur in 4. Venetiis 1751. typis Jo. Baptiſtae Paſquali.

Georgii, ſeu Gregorii Cyprii Patriarchae Conſtantinopolitani Vita, quae ex Codice Lugduno-Batavenſi nunc primum Graece in lucem prodit cum Latina interpretatione & notis. Accedunt diſſertationes duae hiſtoricae & dogmaticae cum binis epiſtolis ejusdem Cyprii ad amicum, & Moſchamperis exchartophylacis ad ipſum nunc primum editis, queis Byzantina Georgii Pachymeris hiſtoria illuſtratur in 4. Venetiis 1753. typis Jo. Baptiſtae Paſquali.

De Theophylacti Bulgariae Archiepiſcopi geſtis & ſcriptis, ac doctrina, deque Veneta operum ejus omnium editione. *Extat Tomo I. operum omnium G. L. ejusdem Theophylacti in fol. Venetiis 1754. apud Joſephum Bettella in Officina Hertziana.*

Fr. Jo. Franciſci Bernardi Mariae de Rubeis Ordinis Praedic. diſſertationes duae; prima de Turranio ſeu Tyrannio Rufino Monacho & Presbytero; altera de vetuſtis liturgicis, aliiſque ſacris ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Forijulienſibus Provinciae Eccleſiis; Venetiis apud Simonem Occhi 1754.

In Venetam operum, quae Areopagitica dicuntur,

editionem Diſſertatio praevia, in quâ praeſertim agitur de ſcholiis S. Maximi, & Joannis Scythopolitani, ac Germani Conſtantinopolitani Patriarchae. *Extat Tomo I. operum C. L. V. Dionyſii &c. fol. Venetiis* 1755. *typis Antonii Zatta*.

De tribus in Caelo teſtibus, Patre, Verbo, & Spiritu Sancto, qui tres unum ſunt. I. epiſt. Joann. c. V. v. 7. Diſſertatio adverſus Samuelem Crellium, alioſque. Venetiis 1755. apud Simonem Occhi.

De peccato originali ejuſque natura ac traduce & poena, deque multiplici ſtatu hominis, innocentis, lapſi, reparatique, ac de poſſibili purae naturae ſtatu Tractatus Theologicus, in quo haereſum hiſtoria diligentius enarratur, vindicantur fidei Catholicae dogmata, ac ſolidiores, quae agi ſolent in ſcholis, juxta S. Thomae Aquinatis doctrinam dirimuntur quaeſtiones; in 4. Venetiis 1757. apud Simonem Occhi.

Vita Beatae Benvenutae Bojanae de Civitate Auſtria in Provincia Forijulii, quae nunc primum Latine ex originali Codice MS. in lucem prodit cum Praefatione & Annotationibus; in 4. Venetiis 1757. apud Simonem Occhi.

De caritate virtute Theologica ejuſque natura, multiplici actu, perfectione, praecepto: vi etiam juſtificandi hominem, & appretiatione Dei ſuper omnia: ordine in ſubjectis diligendis objectiſque: intenſione, puritate, operumque relatione in Deum, ac interitu demum per lethale peccatum Tractatus Theologicus ſecundus, in quo &c. (*ut ſupra*) in 4. Venetiis 1758. apud Simonem Occhi.

Diſſertationes variae eruditionis ſub una capitum ſerie collectae; queis argumenta, ſive pridem tractata, ſive nunc primum propoſita, diligentius illuſtrantur, ac vindicantur; in 4. Venetiis 1762. apud Simonem Occhi.

Utinensis Beatificationis & Canonizationis Ven. Servae Dei Benvenutae Bojanae Forojulienſis ex tertio Ordine S. Dominici Beatae nuncupatae Reſponſio ad novas animadverſiones R. P. D. Fidei Promotoris ſuper dubio an ſit ſignanda Commiſſio introductionis Cauſſae & in caſu ad effectum, de quo agitur: in fol. Romae 1763. ex Typographia R. Camerae Apoſtolicae.

OPERA INEDITA

Supplementa ad monumenta Eccleſiae Aquilejenſis. Vol. III. *His hiſtoria narratur omnium Patriarcharum Aquilejenſium ad Card. uſque Danielem Delphinum.*

De urbis Aquilejae primordiis incrementis excidio Diſſertatio. *In volumine, quo haec Diſſertatio continetur, multa alia extant ad hiſtoriam pertinentia; & extat quoque Apologia Diſſertationum de nummis Aquilejenſibus.*

De Fide & Spe virtutibus Theologicis Tractatus: *Dividitur in LXXVII. capita.*

De libero arbitrio Humano, Angelico, Divino juxta S. Thomae Aquinatis documenta, deque libera mundi creatione Tractatus. *Dividitur in triginta capita.*

Diſſertationes variae, quae pertinent ad tria priora

Eccleſiae ſecula, quarum hic eſt index. Diſſertatio I. de Patriarchae Jacobi celebri vaticinio Gen. 49. relato, ejuſque legitimo ſenſu ac eventu ſecuto. II. De anno mundi, quo Chriſtus natus eſt. III. De anno tum Imperii Auguſti, tum Regni Herodis, quo Chriſtus natus eſt. IV. De anno aetatis, quo Chriſtus baptizatus fuit, tum de anno Aerae vulgaris. V. De initio & fine ſeptuaginta Danielis Hebdomadum. VI. De anno aetatis & Aerae vulgaris, quo Chriſtus mortuus eſt. VII. De ultimo Paſchate a Chriſto celebrato, ac de Euchariſtia in azymis confecta. VIII. De ſeſſione S. Petri primum Antiochiae, deinde Romae. IX. De primatu S. Petri. X. De reprehenſione S. Petro per Paullum facta, ejusdemque Petri fide circa Legalium obſervantiam. XI. De fictitio D. Pauli Pontificatu in Eccleſiam univerſam cum D. Petro obtento. XII. De novem canonibus Concilii Antiocheni Apoſtolorum. XIII. De LXXXV. canonibus, qui Apoſtolorum dicuntur. XIV. De ratione ſervanda in ſerie Priorum praeſertim Pontificum texenda. XV. De multiplicitate Martyrum. XVI. De appellatione Marcionis ad Sedem Romanam. XVII. De Suprema Rom. Pont. auctoritate, quae ſolvere Marcionem poterat a Patre ſuo Epiſcopo ligatum ſine ejusdem juſſu & conſenſu. XVIII. De palmari Marcionis errore, tum de tempore, quo illum coepit diſſeminare. XIX. De Gnoſticorum origine & politheiſmo ab ipſis inducto. XX. De altero Gnoſticorum communi errore adverſus aeterni Verbi Incarnationem in utero Virginis peractam. XXI. De Sacra-

rum Traditionum neceſſitate & auctoritate adverſus Gnoſticos, alioſque veteres Haereticos in Socinianis, Lutheranis & Calviniſtis redivivos. XXII. De Chiliaſtarum ſeu Millenariorum errore, aliiſque ipſi affinibus; & primum de Terreno & Millenario Chriſti regno ab Haereticis poſt Cerintum ſomniato & ab aliquibus viris Catholicis, ſeu Patribus, lato licet ab illis diſcrimine admiſſo. XXIII. De Eccleſiae ſententia circa Millenarium Chriſti regnum, tum de ſenſu Scripturarum, quibus abutebantur Chiliaſtae. XXIV. De affini aliorum errore, qui animas e corpore migrantes puras licet & omni culpa, & poenae reatu immunes, in fine tantum & poſt extremum judicium viſione Dei, velut mercede, donandas eſſe aſſerebant; tum de veterum Patrum mente. XXV. De mente, ſeu ſententia Joannis XXII. circa ſanctarum animarum corporibus ſolutarum ſtatum. XXVI. De Montaniſtarum haereſeos hiſtoria, deque tempore, quo primum erupit. XXVII. De Pontifice illo Romano, qui, Tertulliano teſte, Montaniſtis litteras pacis conceſſerat, & Praxea agente, revocavit. XXVIII. De fide Montani & ſectatorum circa adorandam Divinarum Perſonarum Trinitatem, tum de baptiſmate per eos adminiſtrato. XXIX. De nuptiarum bonitate. XXX. De Quartodecimanis, & primo deſcribitur hiſtoria controverſiae, quae ſecundo ſaeculo emerſit circa celebrationem Paſchatis. XXXI. De ſtatu controverſiae, quae Arianos inter & Romanos Pontifices circa diem Paſchatis celebrandi efferbuit. XXXII. De Apoſtolica Traditione Paſchatis Dominica die pro-

xime ſequente lunam XIV. celebrandi, quam Aſiatlcis caeterae Eccleſiae, ac potiſſimum Romana objiciebant. XXXIII. De excommunicatione in Asianos a Victore Pontifice Romano lata ejusdemque aequitate. XXXIV. De epiſtolis Decretalibus Veterum Pontificum Romanorum uſque ad Siricium. XXXV. De operibus Dionyſio Areopagitae tributis. XXXVI. De erroribus, haereſibuſque Tertulliani.

Quae huc uſque recenſuimus opera publica luce digna putantur. Imperfecta reliquit

Volumina duo cum hac inſcriptione. Addenda ad monumenta Eccleſiae Aquilejenſis. *De his voluminibus haec retulit Auctor*. „ Tutte le giunte ſeguenti le ho ridotte in tanti capitoli in altri „ libri MSS. Potrebbero i detti capitoli inſerirſi „ nella riſtampa dei Monumenti &c. ai luoghi opportuni, ed in caſo *le aggiunte*, che ſi aveſſero da „ fare, dovrannſi prenderſi dai detti libri e capitoli, eſſendo più accurate &c. Ed anzi vedendo, „ che la *riſtampa dei monumenti* difficilmente avrebbeſi „ potuta eſeguire, ſi è dato principio alla ſtampa „ dei ſuddetti capitoli ſotto il titolo: *Diſſertationes* „ *variae eruditionis*: e le aggiunte ſtampate arrivano „ a Maſſenzio Patriarca incluſive. Si contengono le „ altre ſotto l' iſteſſo titolo di *Diſſertationes &c.* in „ tre volumi MSS. in foglio. Le linee, che ſi veggono nel margine, indicano, che quelle materie ſono „ ſtate da me adoperate nelle ſopraddette Diſſertazioni, e lo ſteſſo per le linee che entrano nella „ materia &c.

Prolegomena Theologica de Sacra Scriptura, de Traditione, de Exiſtentia, Eſſentia, & Attributis Dei.

De actibus humanis, de virtutibus, quae morales dicuntur, de Prudentia, & Juſtitia, de Fortitudine, & Temperantia.

De peccato actuali, Gratia Dei, Providentia, Praedeſtinatione.

Tractatus polemicus de Sacramentis Novae Legis.

Diſſertatio de Traditione adverſus Barbeirakium.

Opuſcula varia chronologica, quorum hic eſt index. I. Tavole storiche e cronologiche. II. De anno Nativitatis & mortis D. N. S. C. III. Aerae populorum ex Blanchinio. IV. De connectendis annis Chriſti, Romae conditae, & Olympiadum ex Blanchino & aliis. V. Peculiaris Blanchini connexio obſervanda ne decipiamur. VI. Ejusdem circa Faſtos Conſulares opinio. VII. Olympiadum annos & Varronianos invenire ex Ricciolio. VIII. De Haebraici Textus integritate. IX. De veriſimiliori Chronologiae ſyſtemate a creatione mundi. X. Anni Neronis Imperatoris. XI. Harduini ſententia de anno pugnae ad Acium. *Admonet vero Auctor in fine Indicis*: Opuſcula diligentiori examini ſubjicienda & corrigenda. *Quae poſtea recenſebimus ſcripta, Adverſaria potius quam opera dixeris*. Sunt autem haec.

Collectio rerum Eccleſiaſticarum, quae ſpectant ad duas Poteſtates, Sacerdotii & Imperii.

Collectio variarum rerum, quae ſpectant ad Sacram

Scripturam, Theologiam, Chronologiam, Hiſtoriam, & Criticem Vol. II.

De rebus Janſeniſticis, de Encyclica Bened. XIV, & de cenſuris quibusdam Scriptorum, quae a S. Sede damnata fuerunt. *In principio ſecandi voluminis notavit Auctor*. Opuſcula varia a me incepta, & rudi manu delineata.

Scripta Theologica, Canonica, & hujusmodi alia, quae confecit Auctor, cum reſpondere debuit, quando conſulebatur de iis rebus, quae in quaeſtionem vocabantur.

Monumenta varia ad Dominicanorum Ordinem pertinentia.

Collectio variarum obſervationum adverſus recentiores incredulos.

Varia ad Divinam Gratiam, Praedeſtinationem, Liberum arbitrium & Janſeniſmum ſpectantia.

Miſcellanea Hiſtorica, Theologica, Critica, & Moralia.

Volumina II., in quibus vetera monumenta quaedam referuntur, illuſtrantur, & chronologicae quaeſtiones tractantur.

Scripta varia, Pariſiis dum eſſet, collecta, quorum maximam partem a Lequienio dono acceperat.

Collectio obſervationum, quibus multa hiſtorica, genealogica, chronologica, geographica, & critica illuſtrantur.

De Graecis Eccleſiis Venetiarum & Dalmatiae.

Checottiana, ſeu Joannis Checottii cauſſa.

Collectio omnium monumentorum cauſſam Acacianae

juxta codicem Capituli Veronenſis millenariam aetatem prae ſe ferentem.

Allegationes binae, quarum prima pertinet ad controverſias, quae erant inter Civitatem & Capitulum Utinenſe, de juribus quibusdam in Cathedralem Eccleſiam; altera pertinet ad controverſias, quae erant inter Patriarcham Aquilejae & Epiſcopum Veronae de jurisdictione ſupra Capitulum, ſupra Eccleſiam S. Mariae in Organo, & alias Eccleſias civitatis Veronae.

Monumenta varia Forojulienſia, quo in volumine extant plura auctoris noſtri ſcripta de negotiis, quae Romae agitabantur cauſſa Patriarchatus Aquilejenſis.

Volumina X. quibus continentur monumenta publica & privata, ſacra & profana, quae non ſolum hiſtoriam Eccleſiaſticam Forojulienſem illuſtrant, ſed etiam originem nonnullarum civitatum, oppidorum, familiarum, monaſteriorum ejusdem Provinciae. Habent & quaedam ad Iſtriae hiſtoriam ſpectantia.

Collectio documentorum ad Venetam B. Jacobi Salomonii Congregationem pertinentium.

Codices varii Capituli Forijulii, Breviaria, Ritualia, Proceſſionaria &c.

Vitae Patriarcharum Aquilejenſium Antonii Nicoletti & Jacobi Valvaſſonis.

Monumenta ad Inquiſitionem Venetam, & alia ad Iſtriam.

Volumina IX. litterarum hominum doctrina excellentium ad Rubeum ipſum, quarum plurimae extant etiam ceteris in MSS. voluminibus, de quibus diximus.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

VINCENTIO FASSINIO

S. P. D.

ANimadvertimus ſaepe una, mi doctiſſime Faſſini, Thomam Vincentium Moneliam cum adverſus philoſophos male de Religione ſentientes calamum ſumpſiſſet, locos graviſſimos ex theologia ac philoſophia tractaſſe abhorrentes ab uſu Scholaſticorum, & in primis Italorum, cum mutuatus fuiſſet ab Academia ſubtilitatem argumentorum & illi viciſſim reddidiſſet ubertatem orationis & ornamenta dicendi, auſum fuiſſe Dei hominumque hostibus aeternum bellum indicere. Porro vir ſapiens non ferebat aculeos, horridum, incultum & tortuoſum diſputandi genus; eaque libentius tractavit, in quibus res ageretur Religionis, quia intelligebat ſerpere longius virus, quod impudentiſſime effuderant Lochius, Collinſius, Spinoſa, Baylius, Helvetius, aliique hujus generis homines, adeo ut pleri-

que

que eorum tetros illos horribileſque Lucretii verſus in ore habere non dubitarent:

.... Relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exaequat victoria caelo.

Opportune ergo adfuit Monelia, ut multis errantibus ſuccurreret, quibus haud difficile fuit oſtendere, idcirco a recta via illos deflexiſſe, quod parum defixiſſent animos, & intendiſſent in ea, quae firma & perſpicua ſunt, quodque fallacibus & captioſis argumentis circumſcripti atque decepti non habuiſſent in promptu, quae pro veritate reſponderent. Tali modo cauſſis, quae veritati cognoſcendae adverſantur, auxilia totidem contra comparavit Monelia, quibus qui uſi fuerunt, ut ad ſanitatem redirent, non male eos vinolentis aſſimilare ſolebat. Dubitant, haeſitant, ut ait Cicero, revocant ſe interdum, iiſque, quae videntur, imbecillius aſſentiuntur; cumque edormiverunt, illa viſa quam levia fuerint intelligunt. Mendaciis ac fraudibus omni quidem aetate pugnavit impietas, ſed hac noſtra vel maxime, quod plurimum interſit illius ſectatorum multos actionum ſententiarumque

ſuarum habere ſocios & comites. Verentur enim Sapientum judicia, quae declinare facilius ſe poſſe confidunt, quo latius pateat communicatio atque ſocietas voluntatum. Quae ego aliquando ferre debui in Gallia ab hominibus audaciſſimis? Cum me convictum eſſe oſtendiſſem, ad divinae mentis imaginem expreſſos animos eſſe; hos, quod non haberent in ſe quidquam admixtum diſpar ſui atque diſſimile, non poſſe interire; Deum omnia judicio ac numine ſuo gubernare, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem; quique haec hiſque ſimilia convellere ſtuderent, non ſolum minutorum philoſophorum, ut illos appellat Cicero, ſed ne philoſophorum quidem nomen mereri. Scio equidem me ab iis deriſum fuiſſe; ſed mea mihi conſcientia pluris fuit, quam hominum hujusmodi judicia atque ſermones. Gaudeo oblatam mihi occaſionem ſenſus confirmandi meos in ſcribenda vita Moneliae, qui quidem de naturali religione adeo multa diſſeruit, ut excitaverit non ſocordes homines, & malo cultu praviſque opinionibus non omnino corruptos ad veri inveſtigan-

di cupiditatem, & erexerit & confirmaverit multos doctrina praeſtantes ad ſubeundam dimicationem pro defenſione Catholicorum dogmatum. In hoc tanto tamque glorioſo campo libuit & tibi excurrere, doctiſſime Faſſini, & bellator ſtrenuus multarum palmarum nullam meo judicio nobiliorem tuliſti, quam in Freretio oppugnando. Is enim, non alia re, credo, fretus quam audacia & impudentia ſua, cum Evangeliorum Apoſtolicam originem auctoritatemque in dubium revocare auſus fuiſſet, tanta eruditione atque diligentia ejus argumenta plena eſſe futilitatis ſummaeque levitatis oſtendisti, ut delirare mihi videantur, qui Freretio plaudunt, & cum eo conſentiunt. Perge juvare Catholicam rempublicam ſcriptis tuis, meque tuae virtutis praeconem amare. Vale.

Piſis III. Id. Nov. MDCCLXXXIV.

Thomas Vincentius Monelia.

Thomas Vincentius Monelia Florentinus fuit ſine dubio vir cum paucis & ingenio & praeſtantia doctrinae comparandus. Nam praeter ſummam, quae in eo erat, cognitionem rerum divinarum, doctus etiam erat Graecis Latiniſque litteris; callebat Hebraicam linguam, veterem recentioremque hiſtoriam & geographiam mirabiliter tenebat, neque hoſpes & peregrinus erat in geometria, analyſi, & naturae ſcientia. Si vero mores illius ſpectes, quamvis interdum durior & aſperior videretur, nunquam tamen laudari ſatis digne poterit, quod libentiſſime ſemper contulerit omne ſuum ſtudium atque ingenium ad aliorum utilitatem & commodum. Sed quoniam a carceribus ad calcem illius vitae cursum perſequi nobis propoſitum eſt, priuſquam exponamus mores, ingenii facultates, reſque ab eo geſtas, dicemus de genere ipſius puerilique inſtitutione. Sarezanae, quae eſt urbs in ditione Reipublicae Genuenſis, multa ſunt monu-

menta antiquitatis ſplendoriſque familiae Moneliorum, quae traducta Florentiam non ſolum civitatis jure donata fuit, ſed etiam plurima ornamenta, ſeu potius virtutis praemia a Magnis Ducibus accepit. Thomas Vincentius avum habuit (non enim eſt neceſſe ſingulos commemorare) Joannem Andream Coſmi III. archiatrum, medicinae doctorem in Academia Piſana, neque contemnendum poetam, ſed alienis magis, quam propriis carminibus * notum; patrem vero Nicolaum Mariam, qui etiam Piſis medicinam profeſſus eſt. Huic nupta erat Lucretia Caſinia, ex qua tres ſuſcepit liberos, Ferrantem, cujus magnum nomen fuit in religioſis hominibus Scholarum Piarum, Joſephum Cajetanum, qui non mediocri cum opinione doctrinae & integritatis juris prudentiam Florentiae exercuit, & Thomam Vincentium, qui inter utrumque medius venit in vitam XV. Kalen. Sept. an. MDCLXXXVI. Hic primam aetatulam magna ex parte degit Piſis apud pa-

* Hic nempe eſt Curculio, quem Menzinius ſuis inſectatus eſt ſatyris.

trem, ibique Latinis litteris & dialecticis inſtitutionibus eruditus eſt. Cum vero aeſtivis temporibus Florentiae eſſe ſoleret, ducebatur ad homines Scholarum Piarum, a quibus Peripateticorum philoſophia, ut illa ferebant tempora, imbutus fuit. Agebat ille XVI. aetatis annum quando cooptari petiit in Dominicanorum ſodalitatem, cui nomen a Florentino S. Marci coenobio, in quo tanquam in opimo ac diligenter ſubacto agro viri & doctrinae magnitudine, & vitae ſanctitate praeſtantes nunquam alii aliis ſuccreſcere, & alii ex aliis continenter propagari deſierunt. Libentiſſime receptus fuit Monelia, quod omnia ſumma ab illius ingenio expectarentur; nec fallaces fuiſſe ſpes ſaepe cognitum eſt, maximeque eo tempore, quo Antoninus Clochius totius Dominicanae familiae moderator Florentiam advenit. Quas enim theologicas theſes ei dicavit Monelia incredibili plauſu publice defendit; de ejuſdem laudibus orationem & carmina ſcripſit recitavitque; dumque coenaret in ipſo coenobio Clochius, tertio exauditus eſt Monelia orationem habens panegyricam, quae ſingularia in rempublicam

Chriſtianam Dominicanorum merita perſequebatur, eamque ſcriptam elegantiſſime ſententiis & verbis. Suſpexit Clochius in adoleſcente peracre judicium & ingenium atque praeclaram eruditionem; utque ſingularia merita ſingularibus praemiis afficeret, deliberavit ei magiſterium philoſophiae deferre quadriennio citius, quam legibus inſtituti eſſet permiſſum. Quae res etſi nullum habuit exitum, obſiſtentibus ſenioribus coenobii, rati minus expedire, ſi juventus ab eo inſtrueretur, qui pari aut minori eſſet aetate, tamen plurimum glorioſa fuit Moneliae, qui quidem ſtatim ac per aetatem licuit ſcholam philoſophiae omnium voluntate regendam ſuſcepit. Haec vero nunquam magis frequentata fuit, quam illo magiſtro; cumque praeclara, quae de ipſo tota urbe ſurrexerat fama, ad aures quoque perveniſſet Henrici Newtoni Regis Britanniae ad Magnum Etruriae Ducem Legati, is ſe cupidum cognoſcendi Moneliam oſtendit. Hic, ut erat litterarum ſuaeque Britanniae amantiſſimus, plurimos cum Monelia ſermones habuit, quibus illi perſuaderet ſolos Britannos, quemadmodum de Tireſia apud

inferos Homerus ait, ſapere, ceteros umbrarum vagari modo; quapropter plurimum ſe illius vicem dolere, quod barbarae philoſophiae laqueis irretitus ſpe orbaretur poſſe aliquando ad aſpiciendam lucem vocari. Quid multa? Adoleſcentem gloriae & ſcientiae percupidum, & in quo magnus erat aetatis & mentis fervor, adeo inflammavit, ut patriam inſtitutumque ſuum deſerere, & ad Britannos tranſire deliberaverit. Rus, quo conceſſerat, ut liberius vacaret cuidam orationi panegyricae concinnandae, opportunitatem ei fecit ad fugam capiendam, parataque jam erat Liburni navis, qua Londinum tranſportaretur, & ſatis grandis pecunia, qua rebus ſuis conſuleret. Quanquam Newtonus diligentiſſime commendavit Moneliam iis, cum quibus amicitiae & cognationis ſibi vincula intercedebant, brevi tamen hic intellexit fallacibus judiciis ſe vidiſſe magna illa emolumenta, quae ex Londinenſi commoratione ſibi obventura putaverat. Triennium fere ea in urbe manſit, magnamque temporis partem conſumpſit in bibliothecis frequentandis: extremo tempore exhauſta jam omni pecunia, ut ha-

beret quo ſe aleret, docuit mercede quosdam Britannos Italicae linguae ſtudioſos. Factum eſt autem beneficio praeſertim Coſmi III. Magni Etruriae Ducis, qui hac de re mandata dedit Giraldio oratori ſuo apud Britanniae Regem, ut Monelia ad bonam mentem & ad ſuos rediret. Et ne quid eſſet impedimento ad hanc rem exequendam, egit Coſmus cum Antonino Clochio, ut utriuſque nomine ſponderet Moneliae, nunquam fore, ut is anteactarum rerum accuſaretur atque puniretur. Accepit etiam eodem tempore Clochius a Monelia litteras indices acerbiſſimi doloris ſui reverſioniſque ad ſanitatem mentis, quibus ita reſcripſit, ut magno animo eſſet, neque dubitaret ſuam fidem humanitatemque experiri. Extitit qui me cohortaretur, atque adeo minitans aſſequi ſe poſſe confideret, ut iſtud tenebricosum tempus vitae Moneliae paterer latere. Sed nolui deeſſe hiſtorici officio, praeſertim cum Monelia nihil praetermiſerit, quod ad eluendam inconſtantiae labem conducere poſſe videretur. Quid enim poſt illius ad ſuos reditum viſum eſt in ipſo niſi pudicum, niſi ex optimo more & ſanctiſſi-

ma diſciplina? Tantum vero dolorem cruciatumque eidem attulerunt errata improvidae aetatis, ut non ſolum animus a factis, ſed etiam aures a commemoratione abhorrerent. Neque non maxime probandum illud eſt, quod ad ſarciendum allatum exemplo ſuo Catholicis hominibus detrimentum, petierit a Clochio, ut ſibi liceret ad populum de divinis rebus verba facere. Fecit autem non in magnarum urbium luce, ſed in obſcuris locis, volens plauſus celebritatemque vitare. Sacri concionatoris munus uſque eo exercuit Monelia, quoad Thomae Minorellio adjutor eſt datus, qui Romae in bibliotheca Caſanattenſi primum obtinebat locum. Non dubitabat hic, ſi Moneliam ſibi adjunxiſſet, illum magno uſui fore ſibi in multis rebus, quas apparaverat, quaſque per ſe praeſtare non poterat, quod eſſet aetate provectus, & oculorum lumina amiſiſſet. Itaque magno ſtudio poſtulatum eſt ab eo, ut ſibi ſocius idem daretur. At ſi profuit Minorellio opera Moneliae, multo majores hic percepit utilitates a diuturna conſuetudine hominis omni doctrina & virtute ornatiſſimi, cujus memoria & recor-

datio tanquam parentis cariſſimi fuit Moneliae, quoad vixit, jucundiſſima. Inter haec Majorum magis imperio ad expiandos praeteritos errores, quam ſua ſponte excitatus conſcripſit vulgavitque diſſertationem *de origine ſacrarum precum Roſarii B. M. V.* ut confutaret *Bollandiſtas*, qui S. Dominico harum precum inſtitutionem acceptam referri debere negabant. Hiſtoriam, mores, diſciplinam, haereſes, aliaque monumenta temporum, quibus Dominicus vixit, neceſſe fuit conſulere, ex iisque omnibus ducere argumenta (quam firma aliorum ſit judicium) ad comprobandum id quod traditum nobis eſt a majoribus, eum precandi ritum a Dominico inveċtum in Chriſtianorum mores ac propagatum fuiſſe. Hoc opusculum, quod craſſo filo contextum dicebat Monelia, voluit in Benedicti XIII. P. M. nomine apparere. Dumque majora ipse praepararet, factum eſt conſilio Auguſtini Urſii, ut ad coenobium S. Marci theologiae tradendae cauſſa mitteretur. Quam enim gloriam vir ſummus pepererat illi domui ejusdem facultatis magiſter, eamdem a Monelia conſervandam fore atque augendam

ſperabat. Non eſt credibile quot & quanta demiſſi moerentiſque animi ſigna dederit Monelia cum primum pedem intulit in illud coenobium, ex quo diſcedens in malorum iliadem incurrerat. Confirmatus tamen & ſua & collegarum virtute, ſtrenue ingreſſus eſt munus ſuum, & nulli quidem labori pepercit, ut juventutem florentem haberet optimis diſciplinis. Utque currenti jam ſtimulos adderet, quotidie illi inculcabat, theologiam non unam quamdam diſciplinam eſſe, ſed plures quodammodo in unum coactas; fuiſſe jam tempora, quibus praeclarum ducebatur non poſſe intelligi, in jejunis quaeſtionibus, barbaris ineptiis, meriſque nugis verſari; nunc videre acutius homines, nec theologi nomine eos dignos ſe putare, quibus non ſumma ſit divinarum litterarum, eccleſiaſticae ac etiam profanae hiſtoriae, ſacrorumque canonum prudentia atque cognitio; qui in SS. Patrum ſcriptis diu multumque non ſint volutati; quibus ſit incognita legum, morum, juris, naturaliſque philoſophiae ſcientia; qui non perceperint doctrinam temporum, teneantque notitiam regionum terre-

ſtrium & maritimarum; qui non attigerint Hebraicam linguam, Graecam non noverint; & qui neſciant afferre compoſitam orationem & artificio quodam & expolitione diſtinctam. Nemo quidem in perfecti theologi imagine, quam exprimebat Monelia, illum ipſum non agnoſcebat. Hoc quoque optimum factu ipſe arbitratus eſt, ſi in publicis diſputationibus non amplius, ut mos erat antiquus uſitatusque, proponerentur ſexcentae theſes nullis rationum momentis confirmatae, ac perſaepe ipſis defenſoribus oppugnatoribusque parum compertae, ſed numero paucae, eaeque ſolum, de quibus eſſet diſputandum, neque jejune & exiliter, ſed ea verborum & argumentorum copia, quae rem ſatis illuſtrare poſſet. Tali modo Monelia ſe ſatisfacere putabat tum iis, qui hujusmodi diſputationes ad acuenda adoleſcentium ingenia, excitandamque ſolertiam plurimum prodeſſe judicant, tum iis (quos inter eminet Joannes Clericus) qui eas obeſſe potius juventuti credunt; homines vero, qui res hujusmodi amant, cupidiores contentionis eſſe, quam veritatis. Non eſt praetereundum primum ex

omnibus diſcipulis Moneliae laudabilem hunc morem tenuiſſe virum clariſſimum Thomam Mamachium, quem honoris cauſſa nomino. Sic ſe gerens Monelia neminem inter ſuos inventum iri exiſtimabat, cui ſua docendi ratio non probaretur. Fuerunt tamen, qui veluti noctuae luce oblata ingemiſcerent, clamarentque vetuſtatem ſuo loco conſervandam eſſe, coercendamque illorum temeritatem, qui omnia novari volunt. Contempſit Monelia hujusmodi voculas, contemptioniſque publica fuere teſtimonia *Diſſertationes duae de annis Jeſu Chriſti Servatoris, & de Religione utriuſque Philippi Aug.*, quas edidit anno MDCCXLI, quarumque argumenta diſcipulo antea publice defendenda commiſerat. Cum multae res in chronologia nequaquam ſatis adhuc explicatae, tum valde implexa quaeſtio eſt de emortuali Chriſti anno, de qua tam variae ſunt doctiſſimorum hominum tamque diſcrepantes ſententiae, ut magno indicio eſſe debeant multis hujus rei cognitionem obſtructam eſſe difficultatibus. Etenim conandum eſt, ut Evangelica Chriſti hiſtoria cum aſtrorum motibus, cumque antiquitatis monumen-

tis prorſus conveniat, quae duo ita ſunt conſtituta, ut quantum uni horum conceditur, alteri quodammodo detrahi videatur. Difficilem hanc viam ingreſſus Monelia, adeo quidem in ea proceſſit, ut vix ante eum quiſquam proceſſiſſe longius videatur, etſi nonnulli poſtea ſatis valide illius oppugnaverint ſententiam. Haec ferme tota eſt, non mediocri argumentorum doctrinaeque copia exornata. Jeſus Chriſtus conceptus eſt menſe Martio an. V. C. DCCLIX. quo etiam tempore novum ſidus Magis in Oriente apparuit: & ejusdem anni Decembri natus anno Juliano XLI., Auguſti Caeſaris XL., Olympiadis CXCIII. an. IV., Periodi Julianae an. MMMMDCCVIIII. Auguſto Caeſare & C. Cornelio Sulla Coſs. ante vulgarem aeram an. V. exeunte. Caedes Bethlehemitica patrata eſt circiter Martii initium an. V. C. DCCLI., quo anno ac menſe etiam obiit Herodes cognomento Magnus. Baptiſmo perſuſus eſt Chriſtus a Joanne an. aerae communis XXVIII. ineunte; ter Paſcha celebravit eodem ſcilicet an. XXVIII. & duobus ſequentibus, & demum in crucem actus anno ejusdem

aerae XXX. C. Craſſo Longino, & M. Vinicio Coſs. cum compleſſet aetatis ſuae annos XXXIII. treſque circiter menſes. Quae pertinent ad hiſtoriam Herodis & Pilati ſeriemque Procuratorum Judeae, ita ſunt illuminata a Monelia, ut nihil fieri potuerit illuſtrius. Secunda Diſſertatione oppugnat Baronium, Huetium, Tillemontium, Natalem Alexandrum, alioſque doctiſſimos viros, ac praeſertim Jeſuitam Petrum Taffinium, qui utrumque Philippum Auguſtum inter Chriſtianos adnumerant. Multa affert argumenta, ut probet hos Caeſares nunquam idola ſua ejuraſſe, ſed in eo maxime nititur, quod ex ludis Saecularibus per eos celebratis ducit. Nam quid iniquius aut indignius Chriſtiano nomine dici aut commemorari poteſt, quam non neceſſario & invite, ſed libere libenterque dies feſtos illorum ludorum celebraſſe, in quibus intoleranda licentia ac ſuperſtitio dominabantur? Ne vero ludis jam peractis eosdem Caeſares Chriſtianae militiae nomen dediſſe putemus, vetare nos dicit Monelia, quae Alexandriae nonnullos menſes ante illorum caedem adverſus Chriſtianos geſta fuere, &

re, & quae de ipſorum apotheoſi ex Eutropio ſcimus. Has Diſſertationes dedicavit Monelia Franciſco II. Magno Etruriae Duci, ut ejus beneficio ſacrorum librorum & Eccleſiaſticae hiſtoriae interpres in Academia Piſana declararetur. Is quidem an. MDCCXLI. voti compos factus eſt, aſſignato ei annuo ſtipendio CL. centuſſium. Paullo antequam haec acciderent, egerat Cardinalis Quirinius cum Patavinae Academiae Moderatoribus, ut Monelia in locum Hyacinti Serrii theologorum facile principis ſuccederet. Id tamen obtinere minime potuit, quod Monelia quosdam collegas ſuos, quos fautores fore ſperaverat laudis ſuae, habuerit adverſarios obtrectatoreſque. Muneris ſui initium fecit Monelia ab Latina oratione, qua oſtendit Deum omnia nobis tuta & ſancta eſſe voluiſſe religione; qui hanc ſtudent evertere ſtulte arrogantes homines, hos eſſe ſui omniſque humanae ſocietatis infenſiſſimos hoſtes; ipſam religionem vero ſacris litteris & Eccleſiae monumentis veluti fundamento cuidam conſtitutam eſſe; & tam bene fundatam & extructam Chriſtianam diſciplinam ab omnibus perdi-

ſcendam. Haec prima ingreſſio e media repetita theologia magnam conciliavit Moneliae opinionem apud collegas ſuos. Et quidem intereſt plurimum qualis primus aditus ſit, & qua commendatione ingenii Academiae quaſi fores aperiantur. His initiis cetera, quae conſecuta ſunt, plane reſponderunt; augebatque conceptam de Monelia opinionem aſſiduitas ac diligentia prope ſingularis, quam ſemper adhibuit in erudiendis tum in ſchola tum domi diſcipulis ſuis. Memorantur adhuc, quos apud ſe veſperi habebat, litterarii conventus, in quibus ſtudioſi adoleſcentes tum in ſacra profanaque hiſtoria, tum in geographia, tum in naturali theologia, atque humanioribus litteris exercebantur. Sunt vero inſigni indicio uberrimos iis virtutis & ſcientiae fontes aperuiſſe Moneliam, quae diſputata primum privatim, mox in publicum protulit adverſus eos, qui omnia fato fieri, nihil libere affirmabant. Opus iſtud duas in partes ſive volumina diſtribuit, in quibus poſtquam multa praefatus eſt de conſenſu omnium hominum ad comprobandam vim & naturam divinam, neceſſitatemque religionis,

exponit tum veterum, tum recentiorum philoſophorum judicia, ſeu potius deliria de hominis ac Dei libertate. Sed praeſertim Lochii, Leibnitii, & Collinſii, nec non Hobeſii & Spinoſae dogmata examinat, ſolideque atque eleganter ſuo more confutat. Suam vero declaraturus ſententiam in fine operis non invenit firmius quod teneret, quam expoſita in hoc eodem argumento a S. Thoma Aquinate, qui quidem fide, ratione, & experientia ipsa nos convictos debere eſſe probat, Deum & ab eo creatos hominum animos libertate praeditos eſſe. Hoc opere bellicum ſe ceciniſſe dicebat Monelia, neque conquieturum, quoad philoſophos male de religione ſentientes armis denudaſſet ſuis. Itaque poſtquam debellaſſet *Fataliſtas*, cum *Materialiſtis* manus conſeruit, ediditque librum qui inſcribitur, *Diſſertazione contro i Materialiſti e altri increduli*. Hic trifariam dividitur. Prima enim pars materiam ab Auctore, cui nullis definita limitibus naturae perfectio ſit, creatam eſſe, vel de nihilo ductam oſtendit. Altera pars multa colligit a Sanctis Eccleſiae Patribus acute inventa, & ſubtiliter explicata,

quibus & majus dictis lumen accedat, & ipſorum Patrum laeſa ab impiis aſſeratur auctoritas; & quid ſit de natura divina materiae cujusvis experti ſentiendum ſtatuatur. Tertia vero pars acriter ſententias duas oppugnat, quae certe ſi ſtarent, tum de materiae ipſius creatione, tum de ſumma Creatoris libertate atque potentia actum eſſe videretur, nimirum & eam, qua ſpatium eſſe rem aliquam, aeternam, neceſſariam, & a nemine pendentem ponitur; & eam, qua mundum hunc ipſum, qui conditus a Deo fuit, inter omnes, qui condi potuiſſent, optimum ac perfectiſſimum eſſe concluditur. Hoc opus aliud ſecutum eſt mole quidem exiguum, at doctrina maximum, quod libris duobus artem criticam & philoſophiam contra recentiores, qui ſtant ab Epicuro & Lucretio, adhibet. Liber prior ipſius Epicuri & Lucretii quid valeret ingenium, quid ferre recuſaret, oſtendit, rationeſque ab iisdem allatas, quo corpoream animi naturam eſſe concluderent, facile diſſipat. Qui hunc conſequitur liber quasdam criticae artis atque dialecticae regulas explicat, & quae ſint, &

quomodo ſint contra impios uſurpandae, veluti digito demonſtrat: tum metaphyſica ſcientia quam vim habeat, quid ſpectare debeat, quid recipere vel rejicere declarat; quo loco veterum ac recentiorum diverſas rationes judicii ſui lance ita librat, ut nihil illo prudentius, nihil ſolertius excogites: denique ad extremum de quibusdam libris agit de humana mente multa complexis, & in eo praeſertim, cui titulus *l' Eſprit*, confutando verſatur. Licuit ſane Moneliae in hoc gloriari ſe primum ex Italis contra librum religioni boniſque moribus perdendis aptiſſimum calamum ſumpſiſſe. Poſtremum, in quo elaboravit, opus eo collimat, ut mentem hominis ſpiritum immortalem, non materiam cogitantem eſſe probet. Multa tum a Sacra θεόπνευςῳ Scripturae auctoritate, quam etiam ab impiorum calumniis vindicat, tum a profana, ſed tamen haud levis momenti, ſcriptorum fide affert in rem ſuam diu multumque cogitata. Geometricam autem in hoc opere docendi rationem haud leviter adumbrat, & metaphyſica etiam argumenta egregie pertractat. Jam vero in libris hiſce omnibus eam ſequitur

Monelia rationem ac viam, ut artem criticam cum ipſa metaphyſica contra impios, quod & Jaquelotius tentaverat, ac magna ex parte perfecerat, apto ſane ac felici nexu conjungat. In ipſa quidem metaphyſica ita verſatur, ut neque veterum acumen ac diſſerendi ſubtilitatem, neque recentiorum claras diſtinctaſque notiones unquam deſideres. Ea vero eſt in illius oratione perſpicuitas, ea gravium ſententiarum illuſtriumque verborum vis atque copia, ut quod Horatius praeceperat, utile miſcens dulci omne tuliſſe punctum videatur. Reliquit & alia ſcripta contra religionis hoſtes, quae ut pote imperfecta ac plane rudia minime in lucem ſunt edita. Quanquam in hujuſcemodi tractationibus ſibi maxime elaborandum eſſe ſtatuit Monelia, non tamen cetera, quae collegerat ex aliis diverſisque ſtudiis & artibus, neglexit. Habebat in manibus opus magnum de antiquis Etruriae urbibus: multa ſcripſit de ortu & progreſſu Catholicae religionis apud Indos, & pro defenſione Edicti Cardinalis Tournonii: tractavit locos graviſſimos difficillimoſque ex Sacra Scriptura, ut

muneri, quod ſuſtinebat in Academia Piſana, abunde ſatisfaceret, exercebatque ſe quotidie fere in optimo dicendi ſcribendique genere. Evolvi plura volumina illius ſcriptorum, & quamvis nihil publica luce dignum in iis repererim, admiratus tamen ſemper ſum varietatem doctrinae & diligentiam prope ſingularem hominis paſſim omnia carpentis ac colligentis, quae ſtudia ſua juvare poſſent. Profecto ſine ingenio, labore & conſtantia ſumma non potuiſſet eo, quo intendebat, pervenire. Mirum vero minime videri debet hominem, qui omnem vitae ſuae curſum in labore confecit, qui ſolitudinem ſic amavit, ut nemini pedem inferre in cubiculum ſuum, in quod ſe abdebat poſtquam docendi munere functus eſſet, permitteret, fuiſſe difficilem & moroſum, & interdum etiam paullo aſperiorem & duriorem, praeſertim ſi contra ſe diceretur; ſui vero omniſque munditiae adeo negligentem, ut vel agreſtiores offenderet. Sed hujusmodi vitia magnis emendata virtutibus, quae eminebant in Monelia, certe mitigantur. Opinio doctrinae caſtiſſimorumque morum, quam omnes de Monelia habebant,

conciliavit ei ſummorum virorum amicitias; commendationique fuit apud Benedictum XIV. P. M. a quo non vulgaribus beneficiis atque honoribus eſt ornatus. Nec minus honorifice de eo judicarunt collegae ipſius, cujus rei teſtimonium praeſertim dederunt eo die, quo ad gubernandam ſamiliam Florentini coenobii illum elegerunt, quod tamen munus ut ſuſciperet, nullis precibus potuit adduci. E ſuis maxime dilexit virum ſane doctum Dionyſium Remedellium, quo etiam adjutore ſuorum ſtudiorum uſus eſt. Vixit ad ſummam ſenectutem valetudine optima. Poſtremo oppreſſus morbo, quem enterocelen appellant, diem obiit ſupremum Piſis XV. Kal Martii anno MDCCLXVII.

Digitized by Google

OPERA EDITA

De origine ſacrarum precum Roſarii Beatae Mariae Virginis ad Sanctiſſimum D. noſtrum Benedictum XIII. P. M. Ordinis Praedicatorum Diſſertatio F. Thomae Vincentii Moneliae ejusdem Ordinis. Romae 1725. typis Hieronymi Mainardi in 8.

F. Thomae Vincentii Moneliae Florentini Ordin. Praed. in Collegio S. Marci S. Theolog. Prim. Profeſſoris de annis Jeſu Chriſti Servatoris, & de Religione utriuſque Philippi Aug. Diſſertationes duae. Romae ex novo typographio Paleariniano 1741. in 4.

Diſſertazione contro i Fataliſti del P. M. F. Tommaſo Vincenzo Moniglia dell'Ord. dei Pred. ec. in Lucca 1744. Part. I. e II. in 8.

Diſſertazione contro i Materialiſti e altri Increduli del P. Tommaſo Vincenzo Moniglia ec. Tom. I. e II. in Padova 1750. nella Stamperia del Seminario in 8.

Oſſervazioni critico-filoſofiche contro i Materialiſti diviſe in due trattati del P. M. F. Tommaſo Vincenzo Moniglia: in Lucca 1760. in 8.

La mente umana ſpirito immortale non materia penſante opera del P. M. F. Tommaſo Vincenzo Moniglia Tom. I. e II. in Padova 1766. nella Stamperia del Seminario in 8.

Angelus Fabronius

Aloysio Brennae

S. P. D.

Quanquam plurimi ſint viri doctiſſimi, qui orationis ſplendore neſciant illuſtrare cogitationes ſuas, & iniquum videatur a theologo & philoſopho exigere elegantiam atque eloquentiam, ſi illas tamen afferent, ſummis eosdem extollam laudibus, quod nihil, meo judicio, adeo ſit glorioſum, quam de rebus obſcuris atque ad intelligendum difficilibus dilucide dicere, nec ſententiis ſolum argute, ſed verbis etiam ornate, quod ſane perpaucis adhuc contigiſſe video. Sed id factum puto non tam rei difficultate, quam hominum, qui ad diſciplinarum ſtudium deveniunt, ſegnitie quadam. Nolunt enim tantum oneris ſibi imponi, ut uno eodemque tempore & artem diſcant, quae verborum aut faciendorum aut deligendorum ſcientiam profitetur, & illa perſequantur quae retruſa atque abdita in tenebris eſse videntur. Praeter quam quod aſſiduitate quo-

tidiana & conſuetudine aurium aſſueſcunt animi. Nam cum ſcholae oppletae ſint barbaris dicendi modis, rudis & indocta oratio paullatim ad ſenſus affluit atque illabitur, ac demum eos ſic illicit, ut nihil tam putidum tamque inſulſum eſſe videatur, quam illigare verborum lepores in diſputationibus theologicis. Profecto qui ſic judicant, de arte, quam profitentur, valde illiberaliter eos judicare arbitror; & quamvis ſcholae proprium eſſe facile concedam, ſtrictim preſſeque diſſerere, & quaſi ad vivum omnia reſecare, id tamen non evertitur delectu verborum, quin immo conciſa brevitas laudem non habebit, niſi accurata ſit & polita, & ita fiet tum ſplendidior, tum gravior oratio, & ad perſuadendum magis idonea. Qua vi & virtute objecta ab Atheis & aliis impiis tela tu perfregiſti, editis praeclariſſimis operibus de generis humani conſenſu in agnoſcenda divinitate, & de infinita Dei perfectione? Hanc abſolutionem perfectionemque in homine theologo & philoſopho eſſe judicaſti, qui poſſet & acutiſſimum & ſubtiliſſimum dicendi genus adhibere, idemque vestire atque ornare oratione; & in rerum graviſſimarum tractatione magnum attulisti nobiliſſimarum diſcipli-

narum ſtudioſis adjumentum, ut non modo rudes, ſed etiam docti ex ſcriptis tuis diſcerent quantum ſatis eſſet & ad differendum & ad judicandum. Maximas gratias Jeſuitis, quorum in numero aliquando tu fuisti, omnes politioris humanitatis cultores agere & habere debent, quod ſuos ita erudirent, ut adhibita etiam elegantia, ratione & via philoſopharentur; & eorum ſunt ſane multi libri, quos legunt omnes, etiam qui ſententias in iis contentas aut non approbant, aut non ſtudioſiſſime conſectantur, adeo vere dictum, quidquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere.

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes,

(*quidni liceat nobis* ἀλληγορικῶς *uti Ennianis verſibus?*) *nam diutius apud nos maneret laus Latinarum litterarum, quam ſtudio atque induſtria ſumma reſtituerunt Italiae majores noſtri, quaeque poſtquam venit ad ſummum, ita nunc ſeneſcit, ut brevi tempore ad nihilum ventura videatur. Quanquam non ſumus ignari multos contra nos eſſe dicturos, quod Jeſuitas &*

Digitized by Google

Latinas litteras laudemus, eoſque redarguamus theologos, qui verborum jejunitatem & famem ſe malle, quam ubertatem & copiam dicunt, non continebimus propterea voces indices doloris noſtri, & dum ſpiritum ducemus, hortabimur omnes, qui facere id poſſunt, ut languenti Italiae reddant priſtinum decus ſuum, proponamque exempla eorum, qui imitati Platonem reliquoſque Socraticos, & deinceps eos, qui ab his profecti ſunt, tum rerum tum verborum doctrina ad omnem memoriam commendati eſſe voluerunt. Non vereor, ne haec a me dicta ab re putes, cum declaraturus ſim, qui vir fuerit Petrus Benedictus, quantaque rerum divinarum ſcientia & linguarum notitia excultus, cujus, quamvis Phoenicis hominis, imagini in pinacotheca Italorum locum dare minime dubitavi, quod in Italia altus educatusque is fuerit, & quod ſuis laboribus gloriam non mediocrem Academiae Piſanae & univerſae Etruriae pepererit. Vale.

Piſis III. Kal. Dec. MDCCLXXXIV.

Digitized by Google

PETRUS BENEDICTUS

PEtrus Benedictus, quod cognomen ipſe ex Syriaco *Ambarachio* in Latinum converterat, Guſtae in Phoenice natus eſt menſe Junio an. MDCLXIII. ex iis parentibus, qui genere & nobilitate facile primi ſuae civitatis habebantur & erant. Sed nihil iis tam erat cognatum quam religio & in Romanam Catholicam Eccleſiam pietas. Pater ejus aere ſuo in Riphone, quod oppidulum in monte Libano poſitum eſt, coenobium a fundamentis exſtruxit, ſanctiſſimeque uxore orbatus gubernavit. Neque minus liberis conſuluit, quorum duo S. Antonii Monaſtica ſecuti inſtituta deinceps montis Libani Archiepiſcopi creati fuere. Cum haec domi haberet veteris ſanctitatis exempla Petrus, ad illa imitanda toto ferebatur animo, & vel a teneris unguiculis talem ſe praeſtitit, ut mirifica eſſet expectatio illius. Romam miſſus per tredecim fere annos optimis artibus ac diſciplinis ſedulam adeo in Collegio Maronitarum navavit operam, ut in iis ipſis rebus,

quas a magiſtris didicit, eos ſuperaſſe videretur. Poſt id tempus in Orientem rediit ea mente, ut ſe totum dederet propagationi Catholicae Fidei, Schismaticorumque, qui nova ſemper adverſus illam machinabantur, erroribus qua voce, qua ſcripto coarguendis. Brevi autem doctrinam ſuam atque prudentiam, & pietatem in Deum Patriarchae Maronitarum ita probavit, ut non modo ab illo ſacris ordinibus initiari meruerit, ſed quaſi lumen aliquod & decus Eccleſiae ſuae non uſitatis laudibus celebrari. Quare nemini debet mirum accidere, quod ipſe Patriarcha ſcriptorum ſuorum non alium niſi Petrum adhibere cenſorem voluerit ac judicem, priuſquam ea publici juris faceret. Haud multo poſt Antiochenae Eccleſiae de graviſſimis rebus ad Apoſtolicam Sedem Legatus Romam reviſit, magnaſque lites biennio, quod eſſet prudentiſſimus, omneſque facunde alloquendo ſibi conciliaret, compoſuit. Sed nihil tam ſtudioſe diligenterque curavit quam ut dirimeretur controverſia, quae in illo erat, utrum Syri rite ſacris initiati eſſent. Huic cauſſam dedit Joannes Morinus, qui non

multo ante vulgaverat *Syriacarum Ordinationum Codices* magna ex parte detruncatos ac mirum in modum deformatos. Non eſt credibile quantos excitaverit motus hujusmodi diſputatio, magnique ſane negotii fuit convincere Romanos judices nihil non factum a Syris niſi more inſtitutoque Catholico. Poſt haec cum Syriam cogitaret Benedictus, invitatus a Coſmo III. Magno Etruriae Duce fuit, ut Florentiae ſubſiſteret ordinandi cauſſa typos Orientales, quos regio ſumptu comparaverat Ferdinandus I. Mediceus eo tempore, quo Romae Cardinalis fuerat, quique ob acerbum incendium ita confuſi & permixti jacebant, ut nulli eſſe uſui poſſent. Id eo utilius videbatur, quod iis temporibus plures ad ſtudia Orientalium litterarum confluerent; & ejusmodi ſane erat typographium Mediceum, ut elegantia & copia cetera omnia ſuperaret (1). Cumulatiſſime

(1) Hoc ſtetit Ferdinando quadraginta millia, vel multo plus, ut alii ſcripſere, centuſſium. Sed juvat ipſius Benedicti teſtimonium afferre, ex quo intelligi poterit quam copioſum & elegans hujusmodi

me Coſmi votis ſatisfecit Benedictus, manaviſſetque ejus induſtria ad multorum utilitatem, ſi quae ipſe propoſuit de edendis qui-

typographium fuerit. Sic enim ait ad Apollonium Baſſettum ſcribens. *Quanto alla ſtamperia deputatami è uno dei più belli e vaſti corpi di ſtampa, che ſi trovino in Europa, sì per la vaghezza delle madri, sì per la pulitezza dei caratteri, sì per la copia immenſa delle une e degli altri, talmente che delle madri Arabiche ſolamente ſe ne conteranno più di ottocento di tutte le forme diſegnate da eccellentiſſimi Scrittori e lavorate da peritiſſimi Maeſtri, e in queſto genere di carattere Arabo queſta Stamperia è unica ed impareggiabile. E benchè ormai la ſtampa di queſta lingua ſi ſia fatta famigliare nell' Europa, in Roma, Parigi, Amſterdam, Vienna, ed altrove, contuttociò niuna delle ſuddette ſi può paragonare con queſta nè in bellezza di caratteri, nè nella copia delle madri di tutti gli ordini. Ma quel, che la rende più riguardevole e ſingolare, è la moltiplicità dei tanti linguaggi nobiliſſimi, che ella abbraccia, che ſono l' Ebraico, Greco, Siro, Arabo, Perſiano, Egizio, e Indiano Neſtoriano: e tutti queſti idiomi ſono tanto ben provveduti di madri, polſoni, e caratteri gettati, che poſſono baſtare alla ſtampa di qualſivoglia libro &c.*

Digitized by Google

busdam operibus, quae in Mediceis bibliothecis Palatina & Laurentiana ferme deliteſcebant, ad exitum perveniſſent. Nemo illo ſane ad id magis erat aptus, quod Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Graecam atque Latinam linguas teneret, & quod eſſet aliarum optimarum artium ſtudiis eruditiſſimus. Haec ſingularia merita reſpiciens Coſmus, non illi quidquam deliberatius fuit, quam hominem praemiis ſibi & Academiae Piſanae in perpetuum devincire. Creavit itaque an. MDCXCVIII. Magiſtrum, ducentorum centuſſium ei ſtipendio aſſignato, Orientalium litterarum, quo in munere ita ſe geſſit, ut doctrinae & eruditionis copia magni viri, boni autem probitatis commendatione ſpeciem tueretur. Quare minime eſt mirandum, ſi multi ejus amicitiam requirerent, inter quos honoris cauſſa nomino Carolum Rinuccinium, Philippum Corſinium, Ferrantem Capponium & Laurentium Magalottum (1), quibus certe non habebat ullos

* Inter hujus familiares epiſtolas, quas nos Florentiae edidimus an. 1769., extant nonnullae epiſto-

Florentinorum civitas aut gloria clariores; aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores. Devinctam etiam conſuetudine tenebat univerſam familiam Monachorum Ca-

he Benedicti ad Magalottum, & hujus ad Benedictum. Juvabit hoc loco unam tantummodo exſcribere, ex qua cognoſci poterit ipſius Benedicti ingenium. *Al Sig. Priore del Bene. Piſa. Un regalo pel mio Signor Priore, e regalo non piccolo, ma ci vuole un po' di mancia. Il regalo è tutta l' amicizia e la confidenza del Benedetti Maronita onorato dal Gran-Duca noſtro Signore della lettura delle lingue Orientali in coteſta Univerſità. Saranno intorno a ſett' anni, che S. A. cavò queſto degniſſimo ſoggetto di Roma per riordinar l' orribil caos, in cui eran ridotti i caratteri non sò ſe di dieci lingue Orientali, fatti gettare con cento trenta mila ſcudi di ſpeſa dal Gran Duca Ferdinando I., allora Cardinale e Protettore del Collegio* de Propaganda Fide. *Finito queſto laborioſo riaſſortimento, S. A. non l' ha mai licenziato mirando veriſimilmente, o come anche ne tengo qualche riſcontro, in fin d'allora a valerſene in queſto nuovo impiego. Si trova egli in neceſſità di procacciarſi un quartiere coſtì, il quale per degni riſpetti deſidererebbe di conſeguire in qualche caſa religioſa, come lo ha avuto ſempre quì, prima per breve tempo in S. Spirito, e poi inſino adeſſo in Badia, dove non ſi può dire quanto oltre alla ſtima abbia*

ſinenſium, in quorum coenobio, dum Florentiae fuit, praeſertim degit, multiſque eorum magno adjumento extitit ad rectam ineundam ſtudiorum rationem. Omnium inſtar hoc loco nobis erit graviſſimum Cardinalis Quirinii teſtimonium. ,, Petrus Benedi-
,, ctus (inquit) publicus olim ſacrarum lit-
,, terarum in Piſano Athenaeo Profeſſor,
,, mihique vel ab eo tempore magna ne-

provaro di cordialiſſimo amore. Io che ſono appaſſionariſſimo per le ſue convenienze ho ſubito penſato a far naſcere un negozio tra VS. Illuſtriſſima, e queſto buon Religioſo, con mettervi VS. Illuſtriſſima dalla ſua parte la protezione e l'amore, ed egli dalla ſua l' oſſequio, e tutto quello che può riſultare dalla ſua gratitudine. Quando ella approvi il progetto, cominci un poco a vedere, dove lo poteſſima collocare per procurargli un' abitazione di comodità, e quello che importa per un uomo del ſuo genio e del ſuo meſtiere, di quiete. Per quanto poi VS Illma. crede a me, s' impegni pure a raffigurarlo una ſpoſa, ſenza entrare adeſſo nella dottrina, nell' erudizione, delle quali ella ſi riſerberà a giudicare dopo poche ſeſſioni. Queſta è la volta, che la Sig. Maria Selvaggia rinunzia alle muſe Latine, Greche e Toſcane per darſi tutta all' Ebraiche, all' Arabiche, e alle Sire; e reſto ec.

» ceſſitudine conjunctus. Namque dum Flo-
» rentiae Monachum indui, nulla re alia feli-
» cior mihi fuiſſe videor, quam quod virum
» illum omnigena litteratura, linguarum prae-
» ſertim Orientalium notitia inſtructiſſimum, in
» ea Benedictinorum Abbatia hoſpitem nactus,
» & per decem annos, antequam ſcilicet Socie-
» tati nomen daret, contubernalem ſortitus,
» ſaniorum & ſeveriorum ſtudiorum myſteriis
» ab eodem fuerim initiatus (1)». Sed haec ſapientiae fama non adeo delectabat Benedictum, quin excelſum magis fore putaret, ſi humana omnia deſpiciens S. J. nomen dediſſet. Id praeſtitit an. MDCCVII., & vix tyrocinio exacto, a Summo Pontifice Clemente XI. juſſus eſt una cum aliis viris doctrina excellentibus ſacris Graecorum libris corrigendis operam dare. Sed quidquid ei ſupererat temporis, id totum aut in ſacris habendis

* In epiſtola nuncupatoria ad Clementem XII. S. Ephraemi operum I. volumini praefixa. Vide etiam volumen I. commentariorum *de rebus pertinentibus ad Aug. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum* p. 13.

concionibus, aut in fidelium excipiendis confeſſionibus libentiſſime inſumebat; & quod hoc proprium religioſi hominis officium & munus eſſe putabat, nil laborabat minus, quam ut ante collectam doctrinae & ingenii famam conſervaret. Vicit tamen modeſtiſſimum illius animum auctoritas Franciſci Retzii, qui ſimul ac univerſae Societati Jeſu praeeſſe coepit, Cardinalis Quirinii hortatu mandavit Benedicto, ut S. Ephraemi nobiliſſimi Catholicae Eccleſiae Patris Syriace ſcripta opera in Latinum converteret. Ne langueſceret Benedicti induſtria, efficiebat ardens Quirinii oratio, quae ſaepe ad ſuum munus penſumque illum revocabat; prodiitque tandem in lucem II. S. Ephraemi volumen, quod Syriaca complectitur, an. MDCCXXXI. Judicatum eſt a ſapientibus viris optime ſuſtinuiſſe Benedictum perſonam interpretis; & quod nonnulla erant, quae doctorem lumenque deſiderabant, non recuſavit ipſe has quoque partes ſuſcipere, ac binas confecit diſſertationes, quas illi volumini veluti corollarium addidit. His σκοπὸς eſt confutare audaciam quorumdam, qui Ephraemi verbis

abutebantur ad diſſeminandas aut falſas aut temerarias de Euchariſtia opiniones. Joannes Kohlius in Academia Petropolitana hiſtoriae Eccleſiaſticae & humaniorum litterarum Profeſſor paucis ante annis ediderat binos Ephraemi *de Sacra Coena* ſermones cum commentariis ſuis, impudentiſſime jactans ex ultima Orientis ora, & ultima Chriſtianorum aetate excitari poſſe teſtes, qui convincerent novum eſſe dogma tranſubſtantiationis, & veteribus omnino inauditum. Hujus propugnator acerrimus extitit Benedictus, & in medium adductis explicatiſque non ſolum Ephraemi, ſed & aliorum Scriptorum Orientalium, antiquiſſimarumque Eccleſiarum, quarum adhuc extant liturgiae, teſtimoniis, non tam errare, quam deſipere & delirare adverſarium ſuum oſtendit, qui haec poſſe revocari in dubium, & minus idonea conſeri ad Impanatorum, ut vocant, errorem coarguendum putaverat. Quo gravius & verius reprehendit Lutheranos ſcriptores, qui ad multitudinem decipiendam mutilos afferunt textus, maleque interpretantur, eo diligentius tuetur Catholicae Eccleſiae judicium ac fi-

dem, quae nulla inimicorum fraude unquam potuit violari. Mitius egit Benedictus, ut pote cum hominibus Catholicis, cum Lebrunio & Renaudotio *, qui contendebant Euchariſtici panis conſecrationem inchoari illis verbis a Chriſto prolatis *hoc eſt corpus meum*, perfici vero iis precibus, quibus poſt octo orationes partim a Sacerdote, partim a Diacono, partim a Populo recitandas, Sacerdos ipſe S. Spiritum implorat atque appellat. Quod huic ſententiae rationes ſuggerere ajebant omnium Graecorum, Syrorum, Armenorum, Coptorumque doctorum teſtimonia, omnes anaphoras atque liturgias, haec temere & falſo ab iis affirmari probat Benedictus, cum ex iisdem monumentis omnibus confici cogique poſſit, conſecrationem, ſeu ut loquuntur, tranſubſtantiationem illis Chriſti verbis omnino peragi. Dum haec tractat,

* Horum ſententias Gallorum ălii renovarunt; ex iiſque memoratur praeſertim Antonius Auguſtinus Tuetteus Monachus Benedictinus e Congregatione S. Mauri; *Diſſert. III. ad S. Cyrilli Archiep. Hieroſolymitani opera.*

ubique ſpargit magnam Orientalium litterarum doctrinam, nec parum lucis affert ipſis S. Ephraemi dictis, quae explanationem ſapientis interpretis requirere videbantur. Interea parabat ea Benedictus, quae ad III. ejusdem operum volumen pertinebant: ſed eum medio in curſu conſiſtere coegit mors, quam Romae jam octuagenarius obivit VIII. Kal. Septembris ann. MDCCXXXXII. Praeter eam, quam memoravimus S. Ephraemi interpretationem, vertit quoque in Latinum ſermonem ex Arabico Stephani Aldoenſis Patriarchae Antiocheni ſcripta de *ſacrâ liturgia, ac de origine gentis Maronicae*, & partem Menologii Graecorum. Majora ſane perfeciſſet, niſi conquieviſſet in iis officiis, quae ad ſacra procuranda rudioreſque inſtituendos pertinent. Nam quae ſunt religoſi hominis virtutes adeo coluit, ut non ſolum ad tempus maximam utilitatem attulerit, ſed etiam ad exemplum factorum.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Caspero Jacopettio

S. P. D.

SI quis univerſam & propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit hoc tam gravi dignus nomine, qui de iis rebus, quas dictione explicandas ſuſceperit, prudenter & compoſite & ornate & memoriter dicat cum quadam etiam actionis dignitate. Quod autem hoc non natura modo atque exercitatione comparetur, ſed etiam artificio quodam, hinc multa tradi ſolent praecepta dicendi, quorum referti ſunt omnes Rhetorum libri. Sed quaeritur a nonnullis, utrum ii, qui de Chriſtianis inſtitutis verba apud populum faciunt, iisdem ac profani oratores aſtringantur legibus, & exempla Chriſti atque Apoſtolorum proponuntur, qui nullam ad artem atque praecepta quidquid loquebantur revocabant. Porro cum pollerent ipſi virtute patrandi miracula, nulla indigebant eloquentia ad commutandos animos atque omni ratione flecten-

dos; ſed ex quo illa rariora eſſe coeperunt, exsoli quoque coepit, quae a bono poeta dicta eſt flexanima atque omnium regina rerum oratio. Neque ſane alicui ſuſpecta fuit lingua SS. Patrum tum Graecorum tum Latinorum, qui in iſto artificio oratorio callidiores fuerunt, celebranturque praeter ceteros ii, quibus ab illorum aetatis hominibus ſumma dicendi laus conceſſa fuit. Nec porro quidquam praestabilius videtur, quam poſſe dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velis, vel unde velis deducere. Qui contendunt minime neceſſariam eſſe Chriſtiano Doctori artem dicendi, hujuſque praecepta illudunt, legant aureum Auguſtini opus de doctrina Chriſtiana, *quo ſtatuitur eos, qui ſe ad ceteros ſermone erudiendos dediderunt, fontes omnium rerum, quae ad dicendum pertinent, pernoſcere debere; & cum penitus in hanc ipſam totius hujus vel ſtudii, vel artificii, vel facultatis diſputationem pene intimam perveniſſet, ſe unum ad informandum Chriſtianum oratorem maxime idoneum eſſe oſtendit.* Cum ſit in medio poſita, *ait ille*, facultas eloquii, quae ad perſuadenda ſeu prava, ſeu recta valeat plurimum, cur non bo-

norum ſtudio comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas perverſas vanaſque cauſſas in uſus iniquitatis & erroris uſurpant? *Quoniam igitur boni oratoris moderatione & ſapientia dignitas & ſalus Chriſtianae reipublicae maxime continetur, ſumme illi in eo elaborandum vel a prima aetate eſſe arbitratur, ut ſit in omni genere ſermonis perfectus. At oratio, quamvis artificio quodam & expolitione diſtincta, nulla erit, niſi ſubjiciatur ſententia & ſcientia, quapropter a multorum artibus ac ſtudiis cenſet materiam ſumendam; & cum indicet cognitionem earum rerum, quae Chriſtiano doctori ſunt aut neceſſariae, aut utiles, nullis prope terminis circumſcribere & definire illius jus videtur. Duo eſſe genera doctorum ait, alterum eorum, qui ſapienter, alterum eorum, qui eloquenter dicunt. Priores monet ut vel maxime utantur Scripturae verbis, alteros ut facultate & copia, qua pollent, libere vagentur; ſic tamen ſentit neminem eſſe in perfecti oratoris numero ponendum, qui non ſit multa doctrina inſtructus, & qui non poſſit diſerte & eloquenter id ipſum, de quo ſciat, dicere. Non defuiſſe eloquentiam Canonicis auctoribus probat exemplis, ſed quod fuit genus quod-*

dam proprium illorum hominum, *nos illo uti minime debere ait*: nec ipsos decet alia (*eloquentia*), nec alios ipſa. *Quam igitur adhibebimus ad ſalutem bonorum*, *malorumque perniciem*? Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. *Si omnium Rhetorum praecepta repetantur*, *ad haec tria referri intelliges*, *quae ita enucleat Auguſtinus*, *ut fingat quamdam formam & ſpeciem perfecti Chriſtiani oratoris*. *Hujus proprium officium & munus eſſe ait*, *ut parva ſubmiſſe*, *modica temperate*, *magna granditer dicat*, *cujus rei varias rationes*, *variaque exempla profert*; *& cum differit de formanda oratione*, *eaque varianda & diſtinguenda quaſi quibusdam verborum ſententiarumque inſignibus*, *illud addit*: non ſane ſi dicenti crebrius & vehementius acclametur, ideo granditer putandus eſt dicere; hoc enim & acumina ſubmiſſi generis & ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere ſuo voces premit, ſed lacrymas exprimit. *In ſe ipſo autem experiri potuit quantum prodeſſet genus dicendi grande*, *cum Caeſarienſi populo diſſuaderet civilem quam-*

Digitized by Google

dam pugnam. Extorſit enim arma e manibus iratorum civium, & cum nemo eorum fuerit, quin lacrimaretur, & praeterita certamina deteſtaretur, ipſe laetatus eſt in omnium gemitu, ac triumphavit. Tria autem, quae poſuit ſapientiſſimus Doctor, ſcilicet ut Orator intelligenter, libenter & obedienter audiatur, *non ſic accipi vult, ut ſingula* tribus dicendi generibus ita tribuantur, quaſi ad ſubmiſſum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri; ſed ſic potius ut haec tria ſemper intendat (*Orator*), & quantum poteſt agat etiam cum in illorum ſingulo quoque verſatur. Nolumus enim faſtidiri etiam quod ſubmiſſe dicimus, ac per hoc volumus non ſolum intelligenter, verum etiam libenter audiri, ſicuti ubi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum eſt, niſi & intelligenter & libenter qui dicit audiatur, non poteſt obedienter audiri. *Hanc vim, quae eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, poſſit impellere quo major ſit, probitati jungendam monet, cujus virtutis expertes, nec dignitati muneris ſatisfaciunt, nec auditorum utilitati ſatis conſulunt. Sed Auguſtinum relin-*

quamus, cujus auctoritate idcirco uſi ſumus, ut vituperatoribus eloquentiae reſponderemus, qui tantum oneris Chriſtianis Doctoribus nolunt imponi, ut ornent orationem, et varietate colorum diſtinguant, et ea conſectentur, quae forum et ſubſellia olim requirebant. Profecto ſi inſtrumentum eloquentiae non eſſet niſi forenſe et litigioſum, exiguum ſane atque mendicum eſſet. Dominari ipſa debet in omni hominum ſocietate, quod in ea maxima ſint momenta ad beatam vitam. Nam veritas noſci, retineri, atque defendi contra improborum ingenia, calliditatem atque malitiam non poſſet ſine eloquentiae ſubſidio. Talis ſit igitur Chriſtianus Orator, ut teneat quidquid ſacris litteris et Eccleſiae monumentis continetur, non hoſpes ſit et peregrinus in naturae ſcientia, ſtudia, mores, omnem vitae rationem eorum, apud quos dicit, noſcat, hominem homini ita repraeſentet, ut dum ſui imaginem veris expreſſam coloribus ille intuetur, ſalubriter terreatur, deſperatas quoque mentes ſanari poſſe putet, ſi medicina conſilii atque orationis ita afferatur, ut ſenſim ac leniter virtutis ac veritatis deſiderio accendantur auditores, omnem ſe tuliſſe punctum arbitretur, ſi lacrimas

ab iis extorſerit, quod non obtinere ſolet vitiorum et peccatorum acris cum amplificatione incuſatio aut querela, ſed ars peragrandi per animos hominum, ſenſus menteſque pertractandi, quam qui tenet magiſter et dominus eſſe videtur auditorum. Quonam modo ferre poſſumus concionatores illos, qui in clamore et verborum curſu poſitam eloquentiam putant, qui cum perpauca ſciant, magna profiteantur, indocti, inurbani, ſuperbi neque inſtruunt, neque delectant, nec vitia emendant? Homines emerſi ſubito ex diuturnis tenebris alicujus coenobii, aut barbarae ſcholae, prorſus ignari quid homines cogitent, ſentiant, opinentur, expectent, exigant, quibus orationis modis quaeque animorum partes pellantur, quid tradi ſoleat a rhetoribus de rerum et verborum doctrina, a philoſophis de vita, de officiis, de virtute et moribus, quando grandiloquum oporteat eſſe oratorem, quando ſubtili quadam et preſſa oratione limatum, quando temperatum et leviter ornatum, et quae ſint horum ſingulorum generum praecepta, ululanti adeo voce clamant, ut aculeos non in animis, ſed in auribus eorum, qui audiunt, relinquant. Quaſi me pudet iſtorum; et quod in magna concionatorum

Digitized by Google

torum multitudine perpauci apud nos fuerunt, qui excellentis eloquentiae ſpeciem & formam aut expreſſerunt, aut adumbrarunt, horum geſta, mores hiſtoriae monumentis mandare mihi propoſui. Interea vitam habebis Caſinii Cardinalis, qui mihi videtur in ſecundis poſſe conſiſtere. At quod in praeſtantibus rebus magna ſunt ea, quae ſunt optimis proxima, vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos laus tribui debet, ne ſummos tantum probando, eorum, qui ſe ſtudio eloquentiae dediderunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Vale.

Piſis XIII. Kal. Jan. MDCCLXXXIV.

Franciscus Maria Cardinalis Casinius

Franciſcus Caſinius Aretii in perantiqua Etruriae urbe natus eſt III. Id. Nov. an. MDCXLVIII. Parentes habuit Carolum Caſinium & Olympiam Albergottam, utrumque nobilitate ſumma, qui tres filios ſuſceperunt, quorum minimus natu fuit is, de quo ſcribere exorſi ſumus. Hic cum domi haberet, unde pudoris pudicitiaeque peteret exempla, mature Chriſtianis virtutibus eluxit. Apparebat etiam in eo acumen ingenii; cumque traditus fuiſſet in diſciplinam Friderico Nomio, cujus magnum erat apud Aretinos nomen, ita profecit in ſtudiis humanitatis atque philoſophiae, ut omnibus aequalibus ſuis antecellere judicaretur. Poſtquam e pueritia exceſſit, iis in conſilium adhibitis, quos ſenſuum habebat ſuorum actionumque moderatores, ſtatuit e re ſua fore vel maxime ſi familiae Cappuccinorum primo quoque tempore nomen daret. Cum id, repugnantibus licet parentibus, Cortonae praeſtitiſſet, adeo

prae ſe probitatem atque ingenuitatem ferebat, ut veteranis eſſet admirationi. Hi quidem ne diutius retardarentur ſpes, quas de ingenio Caſinii conceperant, ipſum lege illa ſolvi curarunt, qua triennii ſpatium praefinitur iis, qui Familiae nomen dederunt, antequam in ſtudiis verſari poſſint. Qua re impetrata, idem Lucam miſſus eſt, traditusque in diſciplinam Bernardino ab Aretio, qui poſtea Ordinis Miniſter Generalis creatus eſt. Quantos progreſſus fecerit, ex hoc facillime intelligi poteſt, quod illi, cum viceſimum quartum aetatis annum nondum abſolviſſet, erudiendi juventutem onus impoſitum eſt. Docuit igitur in eadem civitate philoſophiam primum, mox theologiam, ex quo curriculo ſexennio poſt diſceſſit, ut munus ſusciperet Definitoris, ut appellant, Etruſcae provinciae. Hinc ad gubernacula regendorum coenobiorum acceſſit, qua in re quantam laudem meruerit, haec erunt indicio. Benevolentiam & caritatem ſuorum erga ſe non ſolum manſuetudine, humanitate, ceteriſque hujusmodi virtutibus, verum etiam induſtria quadam alebat. Ita ſe facillime illos reddere

Digitized by Google

alacres poſſe exiſtimabat ad ea exequenda; quae ſunt perfectioris diſciplinae. Haec enim ei maxime cordi erat, ad eamque ſingulos non minus exemplo, quam dictis excitabat. Omnes admirabantur hominem in precationibus frequentem, abjectiora quaeque Ordinis munia ſedulo obeuntem, ſua tempora ſacris ſtudiis tribuentem, de ſe demiſſe & humiliter ſentientem, humana omnia contemnentem, tenuem victum colentem, paupertatis obſervantiſſimum, atque ita compoſitis moribus, ut nihil temere ac fortuito, inconſiderate negligenterque unquam ageret, decorum ſemper teneret. Cum pietate jungebat prudentiam, quae virtus merito gubernandi ars dicitur; nec ei in ſumma comitate facilitateque deerat gravitas ac ſeveritas, ut difficile eſſet intellectu, utrum eum ſui magis vererentur, an amarent. Quae omnia quanquam erant cum aliorum fructu & utilitate conjuncta, Caſinius tamen divinae gloriae ſalutiſque communis mire ſtudioſus, latiorem campum, facile Moderatoribus conſentientibus, ſibi delegit, in quo hominibus prodeſſe poſſet. Etenim eloquentiae ſacriſque concioni-

bus ſe totum addixit; cumque brevi in publicum prodiiſſet, ut Phidiae ſignum, ſimul aſpectus & probatus eſt. Profecto erat ille ad hoc munus omnibus naturae & doctrinae praeſidiis inſtructus. Nemo enim nec motu corporis, nec ipſo habitu atque forma aptior, nec lingua ſolutior, nec voce plenior aut ſuavior. Habebat ingenium ad excogitandum acutum, & ad explicandum ornandumque copioſum, & ad memoriam firmum & diuturnum. Ad quae naturae bona cum attuliſſet artem quamdam, &, quod caput eſt, adjunxiſſet perfectam ſacrorum librorum ſcientiam cognitionemque illarum rerum, quibus continetur Dei caeleſtiumque cauſſarum vis & natura, omniſque Chriſtianae vitae ratio, hauſtam non e rivulis, ſed e fontibus, hoc eſt SS. Patrum lectione, illud adeptus eſt, ut quoties audiebatur, homines non minus, quod unice ſpectabat, ad virtutis ſtudium, quam in ſui admirationem traduceret. Quapropter minime eſt mirandum ſi illuſtriores Italiae urbes concionando peragravit, Florentiam, Senas, Venetias, Vicetiam, Parmam, Lucam, Neapolim, Romam, cum ab omni-

bus fere depoſceretur. Non eſt hoc loco praetereundum, virum praeſtanti memoria, cum aliquando dicturus fuiſſet apud Julium Cardinalem Spinulam, quo multi Cardinales, Praeſules, nobileſque viri convenerant, ita ab ea deſertum fuiſſe, ut illi penitus oratio exciderit. Qua re adeo exanimatus fuit, ut ut cum ad ſcriptum confugiſſet, ne id quidem aſſequi potuerit, ut illius recitatione uteretur. Narrabat id ſaepe amicis vel ad imminuendam, quam de ſe opinionem habebant, vel ad coarguendam ſuperbiam illorum, qui magnopere ingenio confidere videntur. Cum eſſet abſentibus quoque cognitus, veniſſetque in Galliam Germaniamque aſſecla ſui Miniſtri Generalis, quamvis juſta eſſet excuſatio nullam ſe aſportaſſe earum, quas compoſuerat, orationum, defugere tamen non potuit onus dicendi coram Rege & Regina Magnae Britanniae, qui Pariſiis eo tempore commorabantur, coram Caeſare, Electoribus Palatino & Maguntino, Epiſcopo Auguſtae Vindelicorum, aliiſque Germaniae Principibus. Atque hic tantus vir, ut in Italiam rediit, ſuis, qui in Etruria erant, prae-

ſectus eſt; nec multo poſt, anno ſcilicet MDCXCVIII. Definitor & Procurator, ut loquuntur, Generalis creatur. Tulit haec ille moleſte, non modo quia parendi quam imperandi longe cupidior erat, ſed in primis quia ita ſe alligari videbat, ut Chriſtianae reipublicae in ſacri oratoris munere operam ſtudiumque ſuum navare amplius non poſſet. Quare multa attulit ad impetrandum, ut ſuffragatores alio voluntates ſuas transferrent: ſed haec ipſa vel maxime ſtudia eorum incendebant, cum ad conciliandos homines nihil aeque valeat atque animi moderatio ac demiſſio. Dedit igitur manus, cumque menſes aliquot in his muneribus ſumma cum laude prudentiae ac diligentiae conſumpſiſſet, ei inopinanti accidit, ut ab Innocentio XII. factus ſit Concionator Pontificius. Magnum profecto eſt onus atque munus dicere debere ſacris illis Adventus & Quadrageſimae temporibus maximis de rebus, novo ſemper modo, apud Summum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, alioſque multos magnae dignitatis homines, quibus locus eſt in ſacello Pontificio. Sed hi, ut Caſinium audierunt, adeo

illum ſuſpexerunt, ut neminem unquam magis ſint admirati. Quo factum eſt, ut duo Cardinales nomine Collegii gratias egerint Pontifici, quod tantum virum elegiſſet. Hic vero quo graviſſimam provinciam facilius ſuſtinere poſſet, Pontificem rogavit, ut ſe ex altero operoſo munere Procurationis totius Familiae ſuae expediret, planeque ſolutum relinqueret. Id ei non negavit: erat enim juſta poſtulatio; illiuſque nominatione eumdem in locum ſubſtituit Bernardinum a Salutiis, qui poſtea ad ſummum Magiſtratum evectus eſt. Interim in morbum incidit Innocentius, quo cum graviter conflictaretur, ſibi adeſſe Caſinium voluit, atque apud eum totius anteactae vitae noxas expoſuit. Innocentio ſucceſſit Clemens XI., apud quem non minori in honore atque auctoritate fuit Caſinius. Senſit hic quidem magnopere placere ſanctiſſimo Pontifici, ut libere reprehenderentur mores eorum, qui a Sacrorum Canonum praeſcriptionibus aberraviſſent, quare genus orationis ſecutus eſt, in quo cohortationes, praecepta, admonita aſperitatem quamdam habere videntur. Plena animi, plena ſpiri-

tus, plena doloris, plena veritatis oratio ſi quos offendebat, allicebat maxime Pontificem, cui nihil tam cordi erat quam emendatio morum. Quare ut ampliſſimis praemiis hominem afficeret, qui ſe omnium officiorum obſtringi religione arbitrabatur ad virtutem praedicandam atque exequendam, ipſum in Cardinalium Collegium cooptavit XV. Kal. Jan. an. MDCCXII. Neque tamen ei ſtatim ſucceſſum eſt in munere Concionatoris Pontificii, cum illum eumdem proximo Adventu concionari juſſiſſet Clemens. Summo honori fuit Caſinio publica laetitia. Is vero cum intelligeret dignitatis acceſſione duabus quaſi ſe indutum eſſe perſonis, Magiſtratus una, altera religioſi viri, ad utramque tuendam omne ſuum ſtudium curamque convertit. Itaque in omnibus iis rebus, quas cultus externus deſiderat, ita decorum ſervavit, ut in eo non ſolum moderatio, ſed etiam modeſtia appareret. De veſtitu quantum neceſſe fuit, de victu nihil fere mutavit, neque unquam a priſtina jejunandi conſuetudine diſceſſit. Pulchrum erat videre hominem magna ſtatura, facie decora, prolixa barba,

totaque figura & forma ad dignitatem compoſita, amictum illis honoris veſtimentis, laneis tamen & cineracei coloris, ut pio aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui. Domum ejus qui intraſſent, nullum vel minimum ſignum luxuriae videre poterant, contra plurima abſtinentiae; eaque pars, quam incolebat, ſic erat inſtructa, ut nulla in re differret a cujuſvis inopis & Inſtituti ſui obſervantiſſimi hominis. Hinc ut, quantum in ſe erat, ejuſdem Inſtituti propriam paupertatem retineret, pecuniam nec tractare, nec aſpicere unquam voluit, omnia fidei Dioecetis apprime boni concredens. Utebatur enim familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima, ſi ſpecie, vix mediocri. Fuit in hac praeclarum illud omnium Chriſtianarum virtutum exemplar, quem honoris cauſſa nomino, Franciſcus Tenderinius, cui Caſinius tantum tribuebat, quantum cui plurimum. Omnino apud eum habitare dixiſſes innocentiam, integritatem atque veterem ſanctitatem. Erant Caſinio modica vectigalia, ſed frugalitate & temperantia aſſequebatur, ut haberet unde egentibus ſubvenire, & alios pios ſumptus facere

poſſet, quem maximum pecuniae fructum exiſtimabat. Porro quantopere in pauperes animatus eſſet, declaravit vox edita ab ipſo, cum, ut primum in publicum prodiit, ſe circumfuſum vidiſſet a turba pannoſorum, ſicuti fit, clamantium, ut ſuorum miſereretur. Rogavit enim ut aequi bonique facerent repulſam, ne teruncium quidem ſe habere aſſeverans, addiditque quidquid in poſterum tribueretur, ſibi fore cum ipſis commune. Ita tenebat honoris gradum, ut veſtigium in eo elati animi cerneres nullum, ſed modeſtia, facilitas & humanitas eadem, quae in privato fuerat, integumentis honoris licet eſſet involuta, elucebat tamen, & ab omnibus agnoſcebatur. Ex quo fiebat, ut ſi quid praeciperet, roganti eſſet propior quam jubenti, & nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret. Nil magis optabat quam ſe poſſe opera de multis bene promereri, cujus exemplum utinam omnes, qui gratia & auctoritate pollent, imitarentur, memores non ſibi ſolis honores eſſe datos, ſed eorum partem amicos, partem inopes homines jure optimo ſibi vindicare; & in collocandis benefi-

Digitized by Google

ciis, non ſecus atque ille, judicium & diligentiam adhiberent: bene enim Ennius apud Ciceronem;

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Sed illuc revertor. Plane ad omnem humanitatem fuiſſe inſtructum Caſinium ex hoc judicare licet, quod, ſi quando praeſtare non poterat illud, de quo rogabatur, ita abnueret, ut nemo ab illo diſceſſerit, qui ſaltem blanda illius oratione devinctum ſe eſſe non confiteretur. Quae dum faciebat, nemo poterat dubitare, quin a benefica voluntate proficiſcerentur, cum ab eo nihil abeſſet longius oſtentatione, vanitate, omnique re, quae vel minimum redolere ſimulationem poſſet. Decorabat haec aequabilitas vitae, & ille idem vultus, eademque frons, quam tantopere veteres in Socrate praedicarunt. Qui mores cum admirabili ſanctitate conjuncti incredibile eſt quantum illi conciliarent venerationis. In Republica ita eſt verſatus, ut nihil praeter ipſius Reipublicae commodum, & Sedis Apoſtolicae dignitatem propoſitum unquam

habuerit. Qua re fiebat, ut nihil officio, nihil timori, nihil ſpei tribueret, & in ſententia dicenda conſtanter ac libere ſe gereret. Aberat tamen ab hac conſtantia pertinacia, carebatque libertas omni acerbitate; & ejusmodi erat oratio, ut in ea ſemper ineſſet mixta gravitati modeſtia. Cum collegae ejus probe perſpectum haberent ſingulare ipſius ſtudium in Chriſtianam Rempublicam, & prudentiam magis magiſque admirarentur, multum illi quidem tribuebant auctoritatis, ut ſaepe a proprio judicio diſceſſerint, quo cum illius ſuffragio conſentirent. Ita diligentiſſime omnia, quae ſui muneris eſſent, obibit, ut nil unquam ſine graviſſima cauſſa intermiſerit, nec dubitaverit etíam cum minus belle ſe haberet, adeſſe illis coetibus S. Officii, Propagandae Fidei, Sacrorum Rituum, Epiſcoporum & Regularium, Indicis, ac Indulgentiarum, quibus adſcriptus erat. Ad haec onera, quae ceteris fere ejusdem ordinis ſolent eſſe communia, accedebant alia extraordinaria, cum Clemens nihil eſſe putaret, quod ejus fidei & induſtriae rectiſſime haud committi poſſet. Quantum autem in agendo

dicendoque ille valeret, ſatis erit unam rem exempli gratia proferre: nam modus adhibendus eſt, quoniam hoc volumine vitas excellentium virorum complurium concludere conſtituimus. Erat magna contentio inter cives Hortanos & eorum Epiſcopum, refici ne deberet templum majus illius civitatis, quod vitium fecerat. Epiſcopus maxime nitebatur, ut primo quoque tempore opus fieret non ſolum propter metum ruinarum, ſed & quod Deo decorum erat. Ad hoc conſilium pauci admodum accedebant, contra plurimi obſiſtebant, illud cauſſati, pecuniam in numerato non eſſe, neque, quo manus porrigerent, ſuppetere. Intelligens Epiſcopus aliud tegi hujuſmodi excuſatione, nihil non molitus eſt, ut illos ad ſuam perduceret voluntatem; ſed cum id non potuiſſet, & jam motus populi fieri videret, conſilium cepit rem ad Pontificem Maximum deferre. Hoc nuntio Pontifex commotus jubet Caſinium Hortanum ſe conferre, ac dare operam, ut ea gens ad meliorem mentem voluntatemque converteretur. Quo ſimul ac ſe contulit Caſinius, Primores convocat, eoſque adeo ſua cepit humanitate,

gravique oratione preſſit, ut nemo ab illo diſceſſerit, qui non omni cogitatione ferretur ad aedem conſtruendam. Poſt id, cum univerſa civitas introiviſſet in templum ad audiendum ſolemne ſacrum, quod Caſinius erat facturus, hic ea verba in concione habuit, ut nemo fere tam inops fuerit, quin aliquid contulerit ad opus conficiendum, quaſi alius populus id facere antea recuſaſſet, non ille ipſe qui tum in dando nullum modum ſervabat. Coepit igitur templum aedificari, & Caſinius ſumma cum caeremonia primum lapidem poſuit; & ut exemplo ceteris praeiret, ex ſua re familiari c. centuſſes dedit, totidemque annuos, quoad viveret, aſſignavit. Hujus mandati confectio jucunda quidem Caſinio fuit. Nihil enim ille antiquius habebat decore domus Dei, ſacrorumque altarium. Ex quo fiebat, ut non ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales ſumptus faceret in aedes Sacerdotiorum, quae ſibi commiſſa erant. Huic rei illud teſtimonio erit, quod in Sanctae Priſcae, cujus Titulum gerebat, quotannis mille fere centuſſes impendebat. Nam domum ei contiguam amplificavit, duo

ſacella non ſolum aedificavit ornavitque, ſed etiam ſacra ſupellectili, aliquoque cenſu locupletavit; ac demum novum ſacrarium inchoavit, quod teſtamento juſſit abſolvi. Sed jam tempus eſt ut de morte ejus aliqua dicamus. Dederat natura Casinio firmam corporis conſtitutionem, ſed vehementiſſima, quam in ſtudiis adhibebat, animi contentio, aſſiduae immoderataeque vigiliae, voluntariae afflictationes, longiſſima itinera, quae pedibus ſemper fecerat, adeo illam vitiaverant, ut idem ſaepe calculorum, iſchiadis, ac dentium doloribus premeretur. Acceſſit eo, quod paucis menſibus antequam Cardinalis crearetur, cum forte ſcamnum aſcendiſſet ad ſumendum e pluteo librum, retro graviter ex eo cecidit. Quo ex caſu homo ſenex & debilitatus in febrim incidit, quam & aliae identidem febriculae conſecutae ſunt, nec non graves renum dolores. Non eſt credibile quanta non dicam patientia, ſed hilaritate haec omnia ille pertulerit, ut ne vix quidem induſtriae ſuae curſum interrumperet. Sed quamvis animus non frangebatur, debilitabatur tamen quotidie magis corpus, ut dy-

ſuriae

ſuriae demum ſuccumbere coactum fuerit. Sentiens Caſinius ſe jam opprimi magnitudine morbi, in quo duos menſes conſumpſit, Joannem Antonium a Florentia Procuratorem totius familiae Cappuccinorum ad ſe acerſiri juſſit, eique omnis anteactae vitae peccata aperuit. Pari modo reliquis, quae ad religionem pertinent, rite ſanctèque perſolutis, in quo ab amantiſſimo Franciſco Tenderinio, tum Hortanorum Epiſcopo adjutus fuit, poſtrid. id. Febr. an. MDCCXIX. diem ſuum obiit tanta quidem conſtantia animi, ut beatam illam terram videre videretur, in quam tanquam in portum ex longa navigatione eſſet venturus. Quam omnibus eſſet cariſſimus, id erit indicio, quod ille ex hac vita migrando maximum ſui deſiderium reliquit. Clementi vero, qui non mediocri afficiebatur vel voluptate ex conſuetudine illius, vel utilitate ex conſilio atque opera, tantum moeroris attulit ejus mors, ut, renuntiata, lacrimas tenere non potuerit. In hoc quoque ille teſtatam voluit ſingularem benevolentiam ſuam erga Caſinium, quod ei laboranti mille centuſſes muneri miſit, ut eſ-

ſet unde ipſi ſumptus neceſſarii ſuppeditarentur; quos tamen hic recuſavit, dicens opus ſibi non eſſe. Admiratus Pontifex ſanctimoniam & abſtinentiam viri, eam ipſam ſummam ejus hereditati (legavit hanc Collegio Propogandae Fidei) voluit adjungi. Ejus corpus conditum eſt in Eccleſia Cappuccinorum, his verbis humili ſepulcro (ſic enim ille juſſerat) inſcriptis:

HIC IACET F. FRANCISCUS MARIA CARD.
S. PRISCAE ORATE PRO EO.

Placuit vero ipſius amico & affini Bartholomaeo Albergotto Aretii in Templo majori eidem fieri magnificum monumentum, in quo hoc ſcripſit elogium:

FRANCISCO MARIAE T. S. PRISCAE S. R. E.
PRESBYTERO CARDINALI CASINO
ORDINIS CAPVCCINORVM PATRITIO
ARETINO
CAROLI HVIVS BASILICAE POST
CONIVGIVM CANONICI
ET OLIMPIAE ALBERGOTTAE

LECTISSIMAE FOEMINAE FILIO
PONTIFICII CONCIONATORIS MVNERE
PER ANNOS XV. OPTIME PERFVNCTO
ROMAE XVI. KALENDAS MARTIAS
MDCCXIX.
MORTALITATEM EXVTO
AETATIS SVAE ANNO LXXI. ET VIII.
POSTQVAM PVRPVRA
A CLEMENTE XI. PONT. MAX. FVERAT
DONATVS
VT IN AEVVM TANTI VIRI MEMORIA
PATRIA AMANTISSIMA FRVERETVR
BARTHOLOMAEVS ALBERGOTTVS
IACOBI FILIVS
DIVI STEPHANI EQVES
CAENOTAPHIVM HOC
AMICO ET AFFINI B. M. P.

Et huic quoque honori fuit, quod Arcadum coetus ejus obitum carminibus deflevit. Sic enim collegae optime de ſe ſemper merito gratum praebere ſe voluit; qui coetus etiam declaraverat quanti illum faceret, cum illi nuncupaſſet tertium volumen vitarum illuſtrium Paſtorum. Eumdem Petrus Olympius

Franchettus e Theatinorum familia laudavit Itala oratione, quae Bononiae typis impreſſa eſt. Satis de hoc viro dictum erit, ſi pauca adjunxero de ſcriptis ab eo editis, ac praeſertim de orationibus habitis in Sacello Pontificio, quarum tria volumina juſſu Clementis XI. in vulgus emiſit haud multo poſt quam Cardinalis factus eſt. Ex his profecto facile quiſque intelliget Caſinium in eorum oratorum numero habendum eſſe, qui non mediocrem Italiae gloriam pepererunt. Quis enim illo uberior ac plenior? Quis ad virtutem (libet, paucis immutatis, Ciceronis verba uſurpare) ardentius cohortatus eſt? Quis a vitiis acrius revocavit? Quis vituperavit improbos aſperius? Quis laudavit bonos ornatius? Quis cupiditatem vehementius fregit? Quae dum agit, ita ſe peritum oſtendit ſacrarum litterarum, ut hae nullius oratoris aeque in poteſtate fuerint. Sic enim illas, quo intendit, deducit, ſicque apte ad perſuadendum accommodat, ut ex illis orationem naſci facile appareat; & quod mirabilius eſt, id tam varie, tam nove praeſtat, ut ne ſuſpicari quidem liceat aliquid ab aliis eſſe

quaeſitum. Totum tamen dicendi genus non eſt ſanum: nam quandoque oratio turget & inflata eſt, & habet quaedam longius ducta, quae vitia vix declinari poterant iis temporibus, in quae incidit aetas Caſinii. Apparent haec quoque in opuſculo, quod inſcripſit; *L' età dell' uomo alle miſure del tempo e dell' eternità*, quodque Venetiis anno MDCLXXXII. vulgatum ad Coſmum III. Magnum Etruriae Ducem inſtituit; ac praeſertim in panegyricis orationibus quorumdam Sanctorum, quas typis commiſit an. MDCLXXVII. unde factum puto, quod eumdem valde poenituerit illas ſibi excidiſſe. Praeter haec in vulgus edidit opus, cui titulus: *I Conſiglj della Sapienza*, in quo graviſſimae ſunt ad recte beateque vivendum enuntiatae ſententiae, quodque ex Gallico in Italicum convertit, plurimiſque locis amplificavit.

PHILIPPUS BONAMICIUS

ANGELO FABRONII

S. P. D.

Gaudeo magnopere, ac miras tibi habeo gratias, Fabroni optime, quod me vehementer hortatus ſis, ut Joannis Vincentii Luccheſinii civis mei ac de me optime meriti vitam conſcribendam ſuſciperem, illiuſque memoriam poſteritati diligentiſſime commendarem. Cum enim nihil malim, quam memorem me gratumque cognoſci, tu profecto currenti, ut ajunt, ſtimulos addis, dum poſtulas, ut illius nomen ſcriptis illuſtretur & celebretur meis, cujus ſumma in me beneficia extitere. Nam cum neſcio quid ex meis Latinis elucubrationibus olim perlegiſſet, adeo vir humaniſſimus ea lectione delectatus eſt, ut me ſtatim Romam acciverit laborum comitem atque adjutorem ſuorum, viamque mihi tam illuſtri commendatione munierit ad eum honoris gradum, quem Clementis XIV. P. O. M. beneficentia ſum conſecutus. Dum itaque hac in re

voluntati tuae perlibenter obtempero, meae maxime morem gero. Ac revera ſine ullo ſuaſore atque impulſore hoc a me grati animi officium eſſet jamdiu perſolutum, ſi a mea quadam jam obſirmata opinione atque ſententia deduci antea potuiſſem. Sic enim exiſtimabam, non omnium illuſtrium virorum e re publica eſſe, ut vita monimentis litterarum tradita prolixius explicetur. Nam cum alii aut temporibus & publicis excluſi negotiis, aut voluntate ſua otium ſecuti aetatem omnem in humanioribus ſtudiis conſumpſerint; alii conſilio, virtute, fide patriae praeſto fuerint, ac publicae ſaluti, dignitati, amplitudini aut in bellis adminiſtrandis, aut in tractatione rerum maximarum conſuluerint; alii denique (quod eſt maxime rarum) utrumque praeſtiterint, ac ſcribenda ſtrenue ſapienterque geſſerint, & legenda ornatiſſime ſcripſerint; ad primum genus hominum quod attinet, ſemper ea mente fui, ut cum de illorum eruditione ſcriptiſque judicium interpoſueris, nihil praeterea memoriae mandari oporteat, niſi ineptias meras, aut res leviſſimas atque uſitatas ad legentium faſtidium perſequi velis. Cum enim abditi litteris nullam publici muneris partem attigerint, nullus

illis aditus patuit, quo virtutes quaſdam magnificas ac populares expromerent, quae cum perleguntur, admirationis obtinent plurimum, magnoque poſteris ad bene de re publica merendum incitamento eſſe poſſunt. Illa praeterea vitae aequabilitas atque conſtantia, qua, qui ſtudiis vacant, maxime delectantur, quanquam non mediocri commendatione digna ſit, ea tamen rerum ac viciſſitudinum varietate caret, quae legentium animos allicere ac retinere cum voluptate poſſit. Haec, mi Fabroni, a deſcribenda Luccheſinii vita tamdiu prohibuerunt verentem ſcilicet ne, dum privato grati animi officio ſatisfacerem, nimis intemperanter abuti viderer otio & litteris, cum jampridem hominem laudaſſem in oratione illa funebri, quam tum primum emiſi in manus hominum teſtem animi amoris & obſervantiae erga illum meae, & mox iterum edendam curavi dialogo adjunctam, ubi de claris Pontificiarum epiſtolarum Scriptoribus Luccheſinium copioſe accurateque diſſerentem induxi. Nunc vero cum tua auctoritas & graviſſima cohortatio acceſſerit, non patiar tantum virum aut a ſocietate doctorum hominum, quorum tu vitas pulcherrime deſcribis, quaſi divelli ac diſtrahi, aut alienis ſcri-

ptis potius quam meis exornari. Malo etiam cetera omnia, quam benevolentiam erga te meam, ſi minus auctoritati tuae obſecutus ſim, desiderari. Cumque in hac conſcribenda hiſtoria magnitudine ac varietate rerum deſeramur, brevitate ipſa legentium ſatietati occurrere diligenter conabimur. Sed antequam ad ſcribendum aggrediar, patere, quaeſo, ut tibi maximopere atque ex animo gratuler, quod in nobiliſſimo Etruſcorum Equitum Ordine, inter quos vel tantummodo percenſeri honorificentiſſimum exiſtimatur, recenti beneficio Principis (cui placuiſſe non ultima tua laus eſt) dignitatem ampliſſimam ſis conſecutus. Macte igitur virtute, Fabroni clariſſime, veramque gloriae viam, quam jamdiu ingreſſus es, conſtanter perſequere. Vale.

Romae Kal. Aug. MDCCLXIX.

Joannes Vincentius Lucchesinius

Joannes Vincentius Luccheſinius Lucae natus eſt IV. Kal. Quintilis A. D. MDCLX. ex pervetuſta patriciaque familia, quo numero qui ſunt, in ea Republica (quae optimatum eſt) ſummam imperii adminiſtrant. Majores ſui privatis aeque ac publicis laudibus floruere. Optimarum enim artium ac litterarum ſtudia huic ingenerata familiae videntur eſſe, ut ne foeminae quidem ejus gloriae expertes fuerint. Eosdem vero ſaepe Reſpublica adhibuit maximis difficillimiſque legationibus obeundis, quae cum praeſidia ſtabilitatis ſuae a pacis artibus magis, quam belli repetat, id muneris nonniſi viris ingenio, conſilio ac rerum gerendarum ſcientia praeſtantibus deferre ſolet. Quo factum, opinor, eſt, ut dum ceterae Etruſcorum Reſpublicae funditus interierint, ipſa quanquam opibus & ditionis amplitudine minus valeret, ſemper tamen a maximis ſe periculis feliciter explicarit, atque ad hanc uſque diem non ſine omnium admiratione dignitatem ac li-

bertatem ſuam egregie tueatur. Scipio pater excellentis vir ingenii atque doctrinae, & domi foriſque in maximis Reipublicae negotiis ſaepe ac diu verſatus nihil habuit antiquius, quam ut puer ad avitam familiae laudem educaretur. Ac primum quidem privato doctore uſus eſt, ut prima artium rudimenta perdiſceret, quibus aetas puerilis informari ſolet; ſed non multo poſt a privata domi inſtitutione ad publicam Senas traductus eſt, qua in nobiliſſima Etruriae urbe per id tempus recens Collegium inſtitutum fuerat (quod a Ptolomaei fundatoris nomine Ptolomaeum dicitur) quo adoleſcentes nobiles ad omnem humanitatem informarentur, ut optimum pueri ingenium jam domi exploratum aequalium aemulatione acueretur etiam magis, qua de cauſſa privatae publica inſtitutio praeſtare creditur. Neque vero ea ſpes parentes feſellit. Vix enim credibile videtur, quam celeriter in omni doctrina profecerit. Erat enim in puero praeter miram ingenii docilitatem, qua quaecumque tradebantur facillime corripiebat, ſumma etiam diligentia, qua praeſtabat omnibus. Cum itaque Senis

id ſtudiorum curriculum, quod in collegiis tradi ſolet, quam celerrime abſolviſſet, Piſas adhuc adoleſcens ſe contulit, ut in celeberrimo ejus urbis Lyceo, poſtquam Senis oratoriae ac poeticae facultati, philoſophiae ac theologiae operam dediſſet, juris prudentiam ac mathematicas diſciplinas excoleret. Dum tamen haec nova ſtudia proſequebatur, vetera non neglexit, atque ea praecipue, quae ad humanitatem ſpectant. Fuit enim Adriani Belgae, & Alexandri Marchetti virorum in eodem Lyceo eloquentia praeſtantium aſſiduus auditor, ac doctiſſimorum hominum, qui in ea urbe frequentes ſunt, conſuetudine unice delectabatur. Cum itaque tam multiplici reconditaque eruditione eſſet inſtructus, Florentiam accitus eſt a patre, qui apud Magnum Etruriae Ducem Lucenſis Legati munere defungebatur; ibique ſub illius diſciplina politicas res attigit, atque una cum patre in maximis Reipublicae negotiis eſt ſumma cum laude verſatus. Sed cum Eccleſiaſticae vitae rationem jam a pueritia ſuſceptam perſequi decreviſſet, Romam proficiſci ſtatuit, quo Eccleſiaſticis praeſertim vi-

di doctiſſimorum hominum conventu recitaſſet, tanto omnium plauſu excepta eſt, ut ad aures Clementis XI. Summi Pontificis litterarum & litteratorum hominum ſtudioſiſſimi fama pervenerit, qui hominem ad ſe acciri juſſit, ejuſque ingenio & eruditione adeo delectatus eſt, ut ſtatim multa in eum beneficia contulerit, ac multo plura pollicitus ſit. Idem Clemens XI. Luccheſinio auctor fuit, ut ceteras Demoſthenis de Republica orationes Latio donaret; neque quicquam deinceps Luccheſinius antiquius habuit, quam ut ſummo ſtudio atque alacritate tanti Pontificis auctoritati voluntatique obſequeretur. Itaque orationes XII. Latine vertit, auxitque eruditiſſimis adnotationibus, quibus totius veteris Graeciae atque Athenienſium in primis Reipublicae hiſtoria maxime illuſtratur. Quo difficillimo labore cum feliciter perfunctus eſſet, opus in lucem edidit, eidemque Summo Pontifici jam de ſe optime merito inſcripſit conſecravitque. Pergratum Clementi XI. intelligenti eloquentiae aeſtimatori, perque jucundum accidit litterarium Luccheſinii munuſculum, illique ſtatim du-

centos viginti nummos aureos pendi quotannis juſſit, effecitque non multo poſt, ut ejus opera in ſcribendis Latinis litteris uteretur Cardinalis ille, quem *Secretarium Status* vocant. Huic muneri illud adjunctum eſt, ut Latine etiam ad univerſi orbis Epiſcopos reſcribatur, qui ſapientiſſimo Sixti V. decreto de ſtatu ſuae quiſque Dioeceſis certiorem tertio quoque anno Pontificem Maximum faciunt. In hoc mediocri munere verſatus diu eſt non mediocri cum laude Luccheſinii labor. Neque vero, niſi qui in Romana aula ſit plane hoſpes, tantum virum tam ſero ad ampliores honorum gradus perveniſſe mirabitur, ſi intelligat Luccheſinium a juris prudentia atque ab omni forenſi diſciplina, cui liberior patet ad gratiam, ad opes, ad dignitates curſus, ſemper abhorruiſſe, ut vulgo ſolent, quibus in amore ſunt politiores litterae, maluiſſeque uberrimis juris prudentiae fructibus, quam pulcherrimarum artium ac ſtudiorum ſuavitate carere. Neque tamen non eos ſemper coluit, quibus conjuncta ineſſet cum juris prudentia liberali homine digna eruditio; inter quos maximi ſemper

ſecit

ſecit Lanfredinium Cardinalem, qui aetatis ſuae juris peritorum eloquentiſſimus, atque eloquentium juris peritiſſimus appellari vere poteſt. Hunc Luccheſinius conſuetudine ſua ſic ſibi devinxerat, ut nemo illi fuerit carior, cumque propter quotidianas occupationes minus ſaepe, quam vellent, mutuis colloquiis frui poſſent, nullus ferme dies intercedebat, quin ſibi mutuo Latine ſcriberent. Erat Lanfredinius Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a *Secretis*, cujus eſt, propoſitis in utramque partem rationum momentis, quaecumque de jure Eccleſiaſtico in diſceptationem cadunt, ad Patres Latine ſcripta referre. Hujusmodi Lanfredinianas quaeſtiones ſi quis perlegerit, fateatur neceſſe eſt, veram germanamque eloquentiam cum juris Eccleſiaſtici prudentia poſſe egregie conjungi, quique aliter ſentiant, eos infantiam ſuam huic facultati vitio vertere. Hujusmodi tamen Latine perſcriptas quaeſtiones, modo quas commemoravi, nolebat Lanfredinius emitti in manus hominum, niſi prius ſemel & iterum cum Luccheſinio communicaſſet. Sed praeter juris ſcientiae faſtidium huic non mediocri

etiam impedimento fuit ad ampliores citius honores conſequendos ſumma ejus modeſtia, qua litteris abditus ſibi vacabat, atque a concurſationibus, prehenſationibus, ceteriſque aulicis artificiis, quibus, qui fortunae velificantur ſuae, uti neceſse eſt, omnino abhorrebat. Cum itaque in hoc munere diu haeſiſſet Lucchéſinii fortuna, a Pontificatu ſcilicet Clementis XI. ad obitum ferme Clementis XII. tandem aliquando anno aetatis ſuae LXXVI. ad Pontificias ſcribendas epiſtolas, quas Brevia ad Principes vocant, accitus eſt. Nihil tamen propius fuit, quam ut certorum hominum importunitas atque ambitio hunc Luccheſinio honorem praeriperet atque occuparet. Sed vir clariſſimus Bottarius, qui cum ipſe eruditiſſimus ſit, de aliorum eruditione atque doctrina veriſſime judicat, prolixe egit cum Cardinali Nereo Corſinio Clementis XII. fratris filio, cujus tum ſumma erat auctoritas, ut ne quempiam pateretur Luccheſinio in honore praeferri, qui omnes & doctrina & Latina maxime facultate antecelleret. Hac Bottarii commendatione Luccheſinium graviore licet aetate affectum Car-

dinalis omnibus praetulit; ac perinde aliqua ipſe in culpa eſſet, quod tamdiu tanti viri nulla pro dignitate ratio habita eſſet, palam teſtatus eſt, curaturum ſe, ut a patruo Pontifice inter Cardinales cooptaretur. Sed ad honorificentiſſimum conſcribendorum Brevium munus ille profecto attuliſſe videtur ornamenta omnia, de quibus eumdem Luccheſinium noſtro in Dialogo de claris epiſtolarum Pontificiarum Scriptoribus enucleate diſſerentem inducimus. Cum vero in eo munere etiam Benedicto XIV. operam probaſſet ſuam, ac quatuor jam ſupra octoginta annos natus eſſet, gravedine ac tuſſi ejus valetudo tentari coepit; quo ex morbo ſe celeriter recreatum iri arbitratus eſt, ſi prolixiori deambulatione ſudorem provocaſſet, quam quidem fruſtra ſibi medicinam adhibuit. Cum enim violentiori motu debilitatum corpus domum retuliſſet, vis morbi noctu ingraveſcens illi ſpiritum intercluſit, vitamque perbrevi tempore extinxit. Obiit A. D. MDCCXLIV. Elatus eſt ſolemni funeris pompa, ſepultuſque in Baſilica Vaticana, cujus erat Canonicus. Fuit in eo praeter ingenii doctrinaeque

paullo acerbius elaberetur. Praeter neceſſarium parabilemque vitae cultum ceteris commodis carere facile poterat. Temperantiae vero ſuae maximum cepit fructum, quod tam bona prosperaque valetudine uſus ſit, nunquam ut in vita medicina indiguerit, atque ad extremam ſenectutem is eſſet totius corporis habitus, is oculorum vigor, ac vultus color, ut diſſimularet aetatem. Quotidie, niſi pluvia impedimento eſſet (caloris enim aut frigoris intemperiem, ventorumque vim negligebat) horis pomeridianis circa Urbis moenia curru delatus, mox prolixae deambulationi indulgebat. Quanquam ſolitudine mirum in modum delectaretur, non tamen ab hominum praeſertim doctrina praeſtantium conſuetudine ac familiaritate abhorrebat, eaque in amicorum congreſſibus humanitate, comitate, modeſtia utebatur, ut omnium ſibi exiſtimationem benevolentiamque conciliaret. Hactenus de vitae genere, quam egit Luccheſinius, nunc de ſtudiorum illius, ſcriptorumque ratione dicendum. Neque enim vita hominum litteratorum actionibus, quae plerumque communes cum aliis ſunt, neque

quicquam habent admirationis, ſed ſcriptis eorum continetur. Quidquid ipſi monumentis litterarum prodiderunt dignum, quod legatur a poſteris, hoc, quodcumque eſt, propria illorum vita ducenda eſt, quae non certo naturae termino definitur, ſed viget etiam poſt eorum interitum, atque immortalitati propagatur. Venio igitur ad ſcripta Luccheſinii, qui eam animo opinionem imbiberat, neminem excellere in ſcribendo poſſe, niſi ab aſſidua veterum Latinorum, Graecorumque lectione illam elegantiae, ſimplicitatis gravitatiſque formam hauriat atque arripiat, unde exiſtit illud perfectum ſcribendi genus, quod nemo non laudat, & pauci aſſequuntur. Latinos ille igitur Graecoſque claſſicos ſcriptores veteres nocturna diurnaque manu verſabat: Livii vero lectione ita delectabatur, ut plus tricies totum perlegerit. Is tamen etiam recentiorum libris temporis plurimum tribuebat, qui ſive in mathematicis, ſive in philoſophicis diſciplinis, quas apprime callebat, novi aliquid afferrent. Ampla hac pulcherrimaque rerum verborumque ſupellectile inſtructus, ad ſcribendum acceſſit. Hic tamen,

di
n
ui
ita
i
o
qı
in
pe
ec
ıti
ıu
ıta
im
ex
ıb
f
ıa
ıga
ur
ar

Digitized by Google

num coetu Luccheſinium offendiſſet, illi palam maximopere gratulatus eſt, quod ea interpretatione Graecarum Latinarumque litterarum gloriam fere unus in Urbe pulcherrime ſuſtineret. Muratorius denique ad Luccheſinium ſcribens praeter ceteras laudes, *o te felicem*, inquit, *qui in utraque lingua civem agere potes!* Sed cum non omnibus de optimo interpretandi genere una ſit eademque ſententia; alii enim negligendam eſſe elegantiam, dum conſtet interpretis fides; alii de fide aliquid detrahendum, ut elegantiae ſit locus; alii mediocritatem quamdam tenendam eſſe arbitrentur, minus miror non deeſſe aliquos, qui Volfii interpretationem Luccheſiniae anteferendam puteut: omnes tamen eruditionis pleniſſimas animadverſiones, quibus orationes ſingulas adornavit, mirum in modum commendant; multum enim ſplendoris ac lucis Atticis antiquitatibus attulere. Neque vero, qui oratorum principem Latine vertit, oratoria ipſe caruit laude. Plures habuit Romae ſive in ſacris aedibus, ſive in publicis Academiis ac litteratorum hominum coetibus orationes; ſed omnino qua-

tuor in lucem editae ad poſteros pervenere, videlicet; *oratio de S. Joanne Evangeliſta*; *oratio in celebri Arcadum Academia, dum publice plauderet Clementis XI. P. M. inaugurationi, habita*; *oratio in funere Luſitaniae Regis Petri II. habita in templo Sancti Antonii ejuſdem Nationis, dum ei Regio nomine parentaretur*; *oratio in funere Clementis XI. P. M.* In hiſce orationibus genus quoddam dicendi Atticum ſecutus eſt, ut facile Demoſthenis imitatorem agnoſcas. Extat etiam alia oratio Etruſco ſermone ſcripta de picturae, ſculpturae & architecturae praeſtantia, quae ab eo in Academia pulcherrimarum artium recitata eſt. Sed nulla in re praeſtantiſſimum ejus ingenium ac doctrina ſingularis magis emicuit, quam cum Latinam ſuorum temporum hiſtoriam a Noviomagenſi pace adorſus ſcribendam ſuſcepit. Sed hic, opinor, non erit ab re paucis referre, quibus praeſertim de cauſſis ad tantum ac tam difficile opus animum adjecerit. Vehementer enim dolebat ſplendidam illam atque magnificam tractandae hiſtoriae rationem, qua veteres Graeci Romanique ſcriptores immortali cum laude uſi olim fuiſ-

ſent, penitus obſoleviſſe; ſtatuebatque in hac litterarum luce, atque in ea praeſertim aetate, quae rerum geſtarum magnitudine, ſplendore, copia nulli ſecunda eſſet, nihil deſiderari magis, quam hiſtoriam ad veterum imitationem diligenter exactam; nunquam plures hiſtoricos, quam ſua aetate, & vero etiam noſtra extitiſſe, nunquam tamen minus hiſtoriae conſultum fuiſſe, quod homines, qui maternam linguam vix calleant, & ne vix quidem, a ceteris vero optimarum artium ſtudiis atque doctrina ſint imparati, ad ſcribendum accedant, pareſque ſe tanto muneri arbitrentur: itaque fieri, ut hujuſmodi hiſtoriae nullo artificio, nulla verborum elegantia, nulla vi ſententiarum ſcriptae, qua celeritate in lucem prodeant, eadem intercidant atque extinguantur, dignae ſane, quae Annalibus Voluſii comparentur. Ad revocandam igitur veterem illam rationem nihil conſultius fore cenſebat, quam ut quodam veluti litterariae reipublicae decreto ſanciretur, res poſterorum memoria dignas non niſi Latinis litteris commendandas. Qui enim eſſent ab optimarum artium ſtudiis atque a

doctrina minus inſtructi, ac Titum Livium, Salluſtium, Caeſarem, ceteroſque praeſtantes Latinos hiſtoricos, quorum unuſquiſque peculiari quadam laude mirifice excelluit, imitari ſe poſſe diffiderent, a ſcribendo deterrerentur, neque non futilibus commentariis, hiſtoriiſque vernaculo ſermone perperam ſcriptis quotidie obrueremur. Quid? Quod Latina ſua ſe nobilitatis antiquitate tuentur, & ubique gentium perleguntur, cetera vero ſuis continentur finibus, iiſque non admodum magnis. Itaque qui materno, quam Latino ſermone malunt pulcherrimarum maximarumque rerum notitias poſteris tradere, non minus ſuae, quam eorum, de quibus ſcribunt, gloriae magnopere invidere putandi ſunt, quod multo certe honorificentius ſit non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud exteras, immo apud omnes gentes cognoſci ac celebrari. Huc accedit, quod ea vis eſt & natura Latini ſermonis, ut ab eodem hiſtoria quamdam dignitatem, vires & nervos mutuari videatur. Jam vero quanquam Luccheſinius ea eſſet modeſtia praeditus, ut Latini

hiſtorici perſonam cum dignitate aliqua ſuſtinere ſe poſſe diffideret, ea tamen fuit magnitudine animi, ut ſuo conatu aliis incitamento eſſe vellet. Et certe in hiſtoria, quam ſcripſit Luccheſinius, ſibi imitandum propoſuit quidquid in ſingulis antiquis hiſtoricis admirationem habet, ac legentium animos percellit atque afficit, ut dolendum propemodum illi defuiſſe otium, quo tam egregium laborem ad tria volumina jam perductum prorſus abſolveret. Hoc autem poſtremo loco libet addere, quod tamen minime ſejunctum a re propoſita videri poteſt, patriae quidem meae jure eſſe gratulandum, quod in tanta praeſtantium hiſtoricorum inopia duos uno ferme eodemque tempore tulerit praeſtantiſſimos Latinos hiſtoricos, Luccheſinium ſcilicet atque Caſtruccium Bonamicium fratrem germanum meum, qui Luccheſinii exemplo excitatus, de rebus ad Velitras geſtis, deque Italico bello Latinos Commentarios edidit. Hoc enim vere & ſine ullo arrogantiae metu affirmare poſſe videor, eosdem Commentarios ob ſummam ſcribendi ele-

gantiam & vim, atque ob ſummam veterum imitationem adeo germanae Latinitatis amatoribus probatos fuiſſe, ut in publicis aliquot Italiae, Bataviae, Angliaeque ludis cum Caeſare, Sallustio, Livio praelegi vulgo ſoleant. Illud enim vero graviter deplorandum, tam breve illi fuiſſe vitae curriculum, qui tam facile poſſet aetatis res geſtas ſuae immortalitati commendare, cum in ea hiſtoriae parte, quam attigit, non hiſtoricus unus e multis, ſed inter multos prope ſingularis fuiſſe videatur.

OPERA EDITA

Demoſthenis orationes XII. de Republica ad populum habitae, Latio donatae a Jo. Vincentio Lucchefinio Patritio Lucenſi cum notis criticis & hiſtoricis, & cum Graeco textu ad SS. D. N. Clementem XI. P. M. Romae 1712. in 4.

Jo. Vincentii Lucchefinii Patritii Lucenſis Hiſtoriarum ſui temporis a Noviomagenſi pace Vol. III. in 4. Primum volumen editum fuit Romae a Petro Erio, ſecundum & tertium ab Hieronymo Mainardio an. 1738. in 4.

Oratio de S. Joanne Evangeliſta Romae 1700. in 4.

—— in celebri Arcadum Academia dum publica plauderet Clement. XI. P. M. inaugurationi, habita a Joan. Vincentio Lucchefinio Lucenſi Romae 1701. in 8.

—— in funere Sereniſs. Luſitaniae Regis Petri II. habita in templo S. Antonii ejusdem Nationis, dum ei regio nomine parentaretur &c. Romae 1707. in 8.

Orazione in lode delle belle arti del diſegno. Roma 1722.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO FOGGIO

S. P. D.

Omnium, quae in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto praeſtabilius, quam plane intelligi nos ad juſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura jus eſse conſtitutum. Quoniam vero praepotentis Dei vi, ratione, poteſtate, numine, mente omnis natura regitur, erit quaedam homini cum Deo ipſo ſocietas, ſi juris atque injuriae regula ex illo fonte petatur. An gens ulla fuit, quae ducem naturam ſecuta ad virtutem minime pervenire potuerit? Quae, illa magiſtra, ignoravit, Dei muneribus nos eſſe inſtructos atque ornatos; illum grate & pie colendum; unam eſſe hominum inter ipſos vivendi parem communemque rationem; omnes inter ſe naturali quadam indulgentia & benevolentia, tum etiam ſocietate juris contineri, ut nihilo ſe ſe plus quam alteros diligere debeant? Recte quidem Socrates

execrari eum ſolebat, qui primus utilitatem a natura ſejunxiſſet, quod caput eſſe exitiorum omnium affirmabat. Quid enim boni ſperare poſſumus ab iis, qui ſuis commodis omnia metiuntur? Hinc calliditas, hinc tyrannis, hinc pernicioſa & injuſta juſſa, quae legis nomen minime merentur, quod lex ſit juſtorum injuſtorumque diſtinctio ad illam antiquiſſimam & rerum omnium principem expreſſa naturam. Nemo eſt in hiſtoria vel leviter tinctus, qui neſciat, ex quo Gothi, Vandali, Hunni, aliaeque gentes immanitate barbarae omnem ſtatum Romani Imperii convellere, antiquos mores immutatos, novasque conditas fuiſſe leges, quibus nihil minus propoſitum erat, quam ſalus civium, civitatum incolumitas, vitaque hominum quieta atque beata. Poſtquam homines tot ſaeculis maximiſque ſtudiis exculti ad humanitatem & mitigati fuerunt, ad agreſtem immanemque illam naturam rediiſſe videbantur, in qua omnis virtus in vi, quam armati habebant ad nocendum, ponebatur. Pontifices Romani, qui, omnibus ereptis rebus ac perditis, custodem illam Imperii religionem violari ab impiis paſſi non fuerant, excubabant animo ſi quo modo poſſent feros animos mollire & jus

quoddam

quoddam conſtituere, quod cum aequitate & religione conjunctum eſſet. Jus civile Romanorum, quod vetuſtate & negligentia jam evanuiſſe videbatur, coepere ipſi ad judicandi conſilium revocare, eas leges, quae ad Eccleſiae ſtatum, Eccleſiaſticorumque perſonas atque res pertinebant, efferre, multis Clericorum privilegia immunitateſque impertire, legibus, quas effrenata licentia & inſatiabilis cupiditas Regulorum tulerat, quarumque crebrae adeo erant commutationes, nihil ut iis inconſtantius eſſe videretur, alias opponere, quae certas & ſtabiles juris atque injuriae regulas haberent, argumenta ad omne judicium vel ex ſcripto, vel ex teſtimoniis, vel ex probabili conjectura, non ex ſanguinolentis certaminibus, aliiſque hujusmodi barbaris inſtitutionibus arripere, jus appellationis conſtituere, humanitatem, aequitatem ita prae ſe ferre, ut nil malle viderentur, quam quod rectum, bonum & honeſtum eſſet. Ab his initiis ortum eſt jus Pontificium, in quo fateor equidem ineſſe aliquid mali, ſed bonum, quod eſt ab eo quaeſitum, ſine iſto malo non haberemus. Nimiam poteſtatem ſibi arrogaſſe Romanos Pontifices, quis negat? Sed vis populi, Regu-

rum, aliorumque Principum multo ſaevior, multoque vehementior erat, neque ea contineri potuiſſet ſine religionis, earumque poenarum metu, quae quod in religione poſitae videbantur, tanquam frena furoris ambitioniſque vel contumacioribus atque inhumanioribus injiciebant. Longe providentes Pontifices quam opportuna futura eſſet ſuis cupiditatibus ſumma rerum omnium ignoratio, quae ubique dominabatur, non ſatis habuerunt illicere homines ad exquirenda Eccleſiae judicia, ſed non ſecus ac ſi omnia eſſent in hujus ditione ac poteſtate, ſe cuſtodes, ſe diſtributores regnorum, ſe judices regum dixerunt; & latiſſime adeo patuit eorum auctoritas, ut mundus prorſus regi eorum numine videretur. Si qui extiterunt, qui dominationem regnumque Pontificalium judiciorum iis continere finibus adlaboraverint, quos Chriſtus conſuetudineſque majorum, non quos lex cupiditatis hominum pepigerat, acerbiſſime afflictati fuere tanquam proditores non modo dignitatis & auctoritatis Pontificiae, ſed omnino Chriſtiani nominis, Catholicorumque dogmatum. Quid ego hic utar exemplis, quorum ſunt plenae hiſtoriae? Circumſpiciamus potius animo, qui fuerint rerum exitus conſecuti. Homines arden-

tie quidem communis libertatis propugnandae, ſiniſtra dum exquiſierunt, in dira incurrerunt, & dum Primatum Romani Pontificis convellere ſtuduerunt, religionem funditus evertere. Profecto nihil tam veritate fundatum reperietur quam unam eſſe Eccleſiam, unum Caput, & penes illam eſſe ſummum jus ſacrorum, ferendique leges, in quibus ſalus Chriſtianae reipublicae continetur. Sed ſunt cuique rei fines, & ſumma Divini Numinis providentia duobus maxime praeſidiis inſtructa eſt humani generis ſocietas ad felicitatem conſequendam, quorum alterum ad divina miniſteria, alterum ad civilem reipublicae ſtatum pertinet, ita ut ex utriuſque conſpiratione & concordia omnis res Chriſtiana augeſcat & floreat. Non quaero nunc quae ſint jura Sacerdotii & Imperii, & quae inventa ſint temperamenta ad ea concilianda. Illud tantummodo animadvertendum putamus, ſummos & theologos & juris conſultos in hujusmodi diſputationibus verſari ſolitos, ſed fortaſſe minus feliciter, quod cum Eccleſiaſticae auctoritatis & Regiae fines metiantur ex unius ſcientiae regulis, inconſulto alteram laedant. Id ſi reſpexiſſet Blanchius, repreſſiſſet quidem im-

petum ſuum ardoremque confutandi omnia Jannonii dicta, & patentius & expeditius recti & non recti quaeſtionem diſſolviſſet. Sunt ſane in jure Canonico multa, quae a theologia omnino pendent, & quae ex hujus diſciplinae viſceribus juris Eccleſiaſtici conditores ſumpſerunt, & haec ſarta & tecta eſſe debent: ſunt alia quae conditio temporum & judiciorum, alia quae augendae Pontificiae Majeſtatis cupiditas invexit, & haec mutationem habere poſſunt pro Imperantium voluntate, quorum munus eſt contra periculoſas hominum potentias tranquillitati ac ſaluti omnium civium providere. Scripturus de Blanchii vita haec praefanda putavi, exprimens ſermones tuos, quos mecum ſaepe habes, quoſque ſtudioſiſſime requirere ſoleo pro tua ſingulari doctrina. Nam non ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed quaedam etiam eſt ars docendi, qua polles adeo, ut ſapientiſſimus Princeps, cui nos omnes Etruſci libentiſſime paremus, neminem te aptiorem invenerit, cui liberos ſuos juris prudentia inſtituendi onus imponeret. Vale.

Piſis IX. Kal. Martias MDCCLXXXV.

Google

JOANNES ANTONIUS BLANCHIUS

JOanne Franciſco & Catharina Felice Blanchiis civibus Lucenſibus ortum habuit Lucae Joannes Antonius Blanchius poſt. Kal. Octobris an. a reparata ſalute MDCLXXXVI. Sive felicitate quadam, ſive bonitate ingenii, ſive parentum diſciplina rectam, ineunte aetate, ſtudiorum viam ſecutus eſt. Cum ſeptemdecim eſſet annorum, Franciſcanae familiae, quam appellant *Minorum Obſervantium*, nomen dare voluit, & Urbeveteri in coenobio Sanctiſſimae Trinitatis tyrocinium poſuit. Hoc expleto, decurſoque Romae primum, mox Neapoli philoſophiae & theologiae curriculo, munus docendi ſuſcepit. Triennium philoſophiam Romae docuit in coenobio Sancti Bartholomaei, ibidemque rerum divinarum ſcientia inſtituit religioſos illos viros, qui ſacris ad barbaras gentes miſſionibus deſtinantur, poſtquam eamdem facultatem Bononiae profeſſus omnibus oſtendiſſet, qualis quantuſque futurus eſſet theologus. Eodem tempore Provinciam regendi coenobii plenam

ſollicitudinis ſuſtinuit, adeoque vigilavit in ſtudiis, ut recentiori philoſophiae, ſacrae profanaeque hiſtoriae multam operam dederit, jus civile percurrerit, attigerit medicinam & chirurgiam, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxerit. Ex quo factum eſt, ut quamvis imparatus aliquando venerit ad ſacras habendas conciones in Liberiana Baſilica (repente enim obierat qui hoc munus erat ingreſſurus) in bonis tamen oratoribus Etruſce & diligenter loquentibus numeratus fuerit. Extant & ejus Latinae orationes, ex quibus de illius ingenio oratorio, & luculenter ipſum Latine ſciviſſe exiſtimari poteſt. Sic cum neque obſcura, neque mediocria eſſent, quae Blanchius dederat doctrinae ſuae argumenta, a Cardinalibus Falconerio, Spinula, & Cozza electus eſt, qui Theologi munus apud ipſos ſuſtineret. Iis autem cumulate ſemper officium ſuum reddidit; & quanquam non defuerit quaedam peſtes hominum laude aliena dolentium, qui eosdem Cardinales ab illo alienare tentaverint, cuncta tamen civitas nullo non tempore hos cognovit Blanchii amantiſ-

ſimos. Neque minus premebatur oneribus domeſticarum rerum. Nam Matthaeus a Pareta, qui Ordinis ſupremum magiſtratum tenebat, eum habuit ad manum ſcribae loco. Gubernavit etiam Romanam Provinciam, & Bononienſem ex mandato Creſcentii Criſperii Commiſſarii, ut vocant, Generalis aliquando viſitavit. Qua occaſione ortas inter ſuos & Proſperum Lambertinium Bononiae Archiepiſcopum, Thomamque Ruffum Ferrarienſis Provinciae praefectum controverſias ſumma prudentia ac felicitate compoſuit. Hic cum propter confecta munera, doctrinae famam, & multas ejus virtutes Romae magna cum dignitate viveret, nulla res major a ſuis ſine eo gerebatur, & ſaepe etiam a Cardinalibus, ampliſſimiſque aliis viris de rebus ad theologiam & jus Pontificium ſpectantibus conſulebatur. Mirum vero quam promptus eſſet in rebus excogitandis, reperiendiſque quae opus erant, & quam facile eaſdem oratione explicaret. Id intuens Summus Pontifex Clemens XII. ei mandavit, ut propugnator eſſet jurium Sedis Apoſtolicae adverſus Sardiniae Regem. Etenim hic contendebat

Nicolai V. conceſſu datam eſſe poteſtatem Sabaudiae Ducibus eligendi, quem vellent, ad omnia majora Sacerdotia, quae in eorum regno & ditione eſſent, factaſque pactiones inter ſe & Benedictum XIII. de moderanda Eccleſiaſtica immunitate, aliiſque juribus Eccleſiae, Romanorumque Pontificum vel temperandis, vel delendis haud eſſe infirmandas. Principio Blanchius narrationem expoſuit omnium rerum praeteritarum & praeſentium, in quibus omnis ratio controverſiae continebatur; deinde firmiſſima fundamenta jecit defenſionis ſuae, qua in defenſione alii etiam docti viri juſſu Pontificis inſudarunt. Idem Pontifex praecepit quoque Blanchio, ut ſcripto oſtenderet jure Gravinae Epiſcopum devoviſſe ejusdem civitatis Ducem, quod hic Clericis denegaſſet immunitatem vectigalium in iis praediorum fructibus, quos venum tradebant. Ipſis autem armis, quibus tunc Blanchius proluſit, non dubitavit ad pugnam Petrum Jannonium evocare. Exorſus eſt a convellenda opinione, quae adimit Romanis Pontificibus poteſtatem alia jura praeter religioſa & ſacra in alieno imperio exercendi.

Magnum ſane erat opus & arduum, & ingredienti conſiderandum erat quid ageret, quid ſuſciperet, quid infinita cupiditas nonnullorum Pontificum cum immani etiam crudelitate tenebricoſiſſimis temporibus adverſus Reges tentaverit, quid ex aequo & bono; non ex callido verſutoque jure ſtatutum fuerit, & quam nunc ſtultum ſit exiſtimare omnia juſta eſſe, & in Catholicis dogmatibus ponenda, quae ſita ſunt in Romanae Curiae inſtitutis ac legibus. Sed nulla res plus apud Blanchium pollebat, quam voluntas ac judicium eorum, quibus gratificari & aſſentari volebat, ex quo factum eſt, ut repreſſum aliqua ex parte, non oppreſſum Jannonium reliquerit. Porro quid amplius ad hujus laudem minuendam, temeritatemque coarguendam fieri potuiſſet, quam non multis verbis, quae ab omnibus facile legi, comprehendi & retineri potuiſſent, falſa, in quibus perſpicue eſt mendacium, a veris, vel ab iis, quae probabili ratione & conjectura dicuntur, secernere, & ita veritati ſervire, ut manifeſte appareat quid jure Chriſtiano & divinis legibus contineatur, quid judicandum

de iis juribus conſuetudinibuſque, quas hominum voluntas invexit; quid retinere, quid remittere potuerint diſcrepantes Pontifices ac Reges; quid diverſa tempora, diverſique mores tulerint, exegerint; & quantum valeat conſpiratio & concordia omnium ordinum, & utriuſque *Poteſtatis*, Sacerdotii videlicet & Imperii ad utilitatem & decus Chriſtianae reipublicae conſervandum? Sed nec moderatus, nec mitis, nec breviloquens erat Blanchius, & aequitatem prorſus rejicere is mihi videtur, dum omnia dicta Jannonii fallaciam & inimicum in Romanam Eccleſiam animum prae ſe ferre contendit. Vir cetera bonus, quamvis difficillima natura, ita contexuit hiſtoriam civilem Neapolitani Regni, ut quidquid dixit, ex oraculo edi exiſtimes. Si lenius & modeſtius egiſſet, facile judicares plerasque ejus ſententias congruere cum iis, quas Ludovicus Thomaſinus, Petrus de Marca, Benignus Boſſuetius, Natalis Alexander, aliique Catholici Scriptores pronuntiarunt, quaeque diſplicere non poſſunt niſi iis, qui quaeſtu & ambitione ſua magis, quam univerſae Chriſtianae reipublicae utilitate o-

omnia metiuntur. Profecto si his temporibus viveret Blanchius, illum non ſolum pigeret, ſed etiam puderet quinque deſtinaſſe volumina confutando Jannonio, & ego ineptus judicarer, ſi capita eorum leviter perſtringere tantummodo vellem. Vir is erat quidem vehemens & in diſputando perpugnax, quare videbatur gratulari ſibi quoties adverſarium inveniſſet, quocum manus confereret. Clamabat per id tempus voce & ſcriptis Daniel Concina e Dominicana familia, mores hominum dulcedine corruptelaque theatri adeo depravari, adeoque indecora inhoneſtaque multa ſcenam comitari, ut quis ei intereſſe ſine piaculo minime poſſet. Hominem ipſa triſtitia & ſeveritate clarum oppugnandum Blanchius putavit, atque opus vulgavit, quod inſcripſit: *Dei vizj e dei difetti del moderno teatro, e del modo di correggerli e di emendarli*. Non ſolum rationibus, ſed etiam exemplis probat fieri poſſe drama, quod minime bonis & Chriſtiano homine dignis moribus officiat, quin immo ex illo capi poſſe ſaluberrima ad regendam vitam documenta. Tales tamen non eſſe idem fatetur hodiernas

illas fabulas, in quibus ſunt amationes; praeſertim ſi eodem accedat muſices & ſaltationis lenocinium, multoque minus tales fuiſſe fabulas veterum Graecorum, Latinorumque, atque Italorum, qui ſuas ad illorum exemplaria condiderunt: ſive enim argumenta, mores & ſententias ſpectes, ἀσελγεῖς & vitiorum officinas illas recte vocaveris. Rogat igitur omnes, qui id facere poſſunt, ut theatri vitia emendent, & voluptatem cum honeſtate ita conjungant, ut Chriſtiana reſpublica nihil ex ſcena detrimenti capiat. Neque ſolum theologi partes agere voluit Bianchius, ſed etiam eruditi antiquitatiſque inveſtigatoris. Plurima enim in toto ſparſit libro, quae veterum ſcenam, muſicam, ritus & mores illuſtrant. Suſcepta a Bianchio propugnatio bene morati theatri cum ſui defenſione conjuncta erat. Populo enim ſpectandas exhibuerat, ac typis commiſerat tredecim tragoedias, quarum octo ſoluta, reliquae numeris adſtricta oratione ſunt compoſitae. Ab hujusmodi tragoediis, a quibus amores & muliebres illecebrae exulant, nullum timendum videtur eſſe periculum, ne hominum

animi molleſcant elidanturque virtutis nervi. Sed hae nunc jacent in bibliopolarum tabernis, quamvis non injucundae fuerint propter quasdam earum virtutes, cum primum in ſcenam prodierunt. Scivit profecto Blanchius quid cuique perſonae conveniret, & quid praecipi ſoleat ab tragicae artis magiſtris. Huic rei indicio eſſe poteſt commentariolum, quod de tragoedia vulgavit, quodque legens magnum te audire tragoedum putabis. At dum cothurnum induit, non admodum ei viſa eſt blandiri Melpomene, quae ut granditate verborum ſententiarumque delectatur, ita nihil tam reſpuit quam verſus inopes rerum nugasque canoras. Poſtquam Blanchii opus de vitiis theatrorum, deque ratione eorumdem emendandorum in lucem exiit, Concina acerbius inſurrexit in theatra, cujuſcumque ea generis eſſent, horumque defenſorem. Par pari reférre animo ſtatuerat Blanchius, ſed tempus morſque Concinae mitigavit illius iracundiam. Itaque paruit illorum conſilio, qui minime vulganda putarunt, quae adverſus Concinam ſcripſerat; quanquam exiſtimari volebat id ſe non odio hominis, ſed veritatis

ſuaeque defenſionis feciſſe cauſſa. Fuerunt & aliae controverſiae, quae Blanchii ſtilum exacuerunt. Pugnavit cum Philalete Adiaphoro, volens perſuadere hominibus *Minores Obſervantes* antecedere aetate *Minores Conventuales*. Ordinis enim ſui gloria, quaecumque ea eſſet, illi ſemper antiquiſſima cura fuit. Sed praeſertim provocatus a Jo. Jacobo Scarafantonio defendit iratus ſcriptum quoddam ſuum, quo denegabat Piſcienſi Epiſcopo jus detrahendi quartam partem ex hereditate, quae monaſterio cuidam mulierum illius dioeceſis obvenerat. Omitto commemorare alias cauſſas, quas homo diſciplina juris, ac praeſertim Pontificii eruditiſſimus, & ingenio acutiſſimus defendit. Etenim cuilibet petenti lucem & praeſidium ingenii & conſilii ſui libentiſſime porrigebat. Sed haec ſunt humiliora, quam illa hauſta ex intima philoſophia, quibus fontes legum & juris inveniri a ſe poſſe putabat. Nam non id quaerebat quemadmodum caveamus in jure, aut quid de quaque conſultatione Pontificum aut Conciliorum decretis reſpondeamus, sed quid ſit homini tributum natura, quantam vim rerum

optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique cauſſa nati & in lucem editi ſimus, quae ſit conjunctio hominum, quae naturalis ſocietas inter ipſos, quaeque ſit vis, natura, ratio, poteſtas, numen, mens Dei immortalis, quo omnis natura regitur atque gubernatur; quibus de rebus cum diſputaret Blanchius non Scholaſticorum more, ſed eorum philoſophorum, qui quaſi officinas inſtruxerunt ſapientiae, majus quiddam de eo ſuſpicabantur homines, quam quantum ex operibus ejus appareret. Sibi autem indulgens acriter invadebat in eos, quos depravatio conſuetudinum opinionumque vanitas tranſverſos egerat, in quibus exagitandis ſi iram ſuam continuiſſet, melius famae, melius ſtudio ſuo in Catholicam Eccleſiam conſuluiſſet. Sed ipſe ea gloria contentus videbatur, quam ex oppugnando Jannonio acquiſierat. Hanc reſpiciens Sardiniae Rex, qui inimiciſſime ſane cum illo egerat, ampliſſima praemia Blanchio obtulit, ſi Auguſtam Taurinorum conceſſiſſet. Juſtam ille ſe recuſationem habere putavit, quod nuperrime a Benedicto XIV. factus fuiſſet Sacrae

Inquiſitionis, ut vocant, Conſultor, per quod munus quaſi gradum quemdam atque aditum ad ampliſſimas dignitates jactum ſperabat. Studia enim cupiditatesque honorum ambitionesque, ut multos, qui Romae degunt, maxime occupabant Blanchium, augebantque ejus ſpes extraordinaria mandata, quae interdum illi dabat ſapientiſſimus Pontifex cum praeclaro judicii ſui teſtimonio. Verum ſi Blanchius artem novit, quae rationem habet bene navigandi, obſequendique tempeſtati, portum tamen tenere non potuit. Nam redux ex Hiſpania, quo comitiorum Ordinis ſui cauſſa (erat enim Cuſtos Romanae Provinciae) conceſſerat, morbo implicitus paucos poſt menſes diem obiit ſupremum. Sepultus eſt in Aede S. Bartholomaei cum hac inſcriptione.

D. O. M.

P. IOANNI. ANTONIO. BIANCHI. LVCENSI.
ORDIN. MINOR. OBSERV. S. FRANCISCI.
CLERI. ROMANI. EXAMINATORI.
ET S. VNIVERSALIS. INQVISITIONIS.
CON-

CONSVLTORI .
VIRO . IN . OMNI . GENERE .
DOCTRINARVM . PRAESTANTISSIMO .
DEQVE . RE . LITTERARIA .
ET ECCLESIASTICA .
MVLTIS . EGREGIAE . ERVDITIONIS .
VOLVMINIBVS . EDITIS .
OPTIME . MERITO .
PROVINCIA . ROMANA . CVI . OLIM .
PRAEFVIT .
PARENTI. AMANTISSIMO. ET. CLARISSIMO.
LVMINI .
MOERENS . POSVIT .
OBIIT . XVI. KAL. FEBRVARII. MDCCLVIII.
AETATIS . ANNO . LXXII.

Scripta ſua, quorum multa reliquit inedita, amico commendavit. Doluit vero minime perficere ſe potuiſſe opus *de primatu & poteſtate Romani Pontificis*, quod extrema aetate ſcribendum ſuſceperat. Etenim ejus ſenectus non languida & iners fuit, ſed operoſa, ſemperque agens aliquid & moliens, cujus ſtudium in ſuperiori vita fuiſſet. Eſt quidem

jucundiſſima ſenectus, ut ait Cicero, ſtipata ſtudiis juventutis, praeſertim ſi corporis vires accedant, in quibus fautricem adeo naturam expertus eſt Blanchius, ut adoleſcentiam minime requireret. Ac ne hoc quidem ille indulgebat ſenectuti, ut ceſſaret ab iis inſtituendis, qui cubiculum ſuum frequentabant. Si quos adoleſcentulos illuſtri ingenio & induſtria inveniſſet, hos in pluribus variiſque facultatibus exercebat, ſolitus dicere, parum prodeſſe reipublicae homines unius cujusdam operis. Gymnaſium & Academiam ejus cubiculum dixiſſes, quod maxima quotidie frequentia non ſolum ſtudioſorum, ſed etiam ſummorum hominum ſplendore celebrabatur. Sermones plerumque verſabantur in litteris, tamque felix erat Blanchius in reminiſcendis quae viderat & legerat, iisdemque dilucide eleganterque explicandis, ut meditata proferre credidiſſes. Conſultum quoque veniebant ad eum pictores, ſculptores & architecti, quod rerum ad illorum artes pertinentium doctus & intelligens eſſet exiſtimator. Nec ſolum ingenii ſui copiam flagitan-

tibus faciebat, ſed etiam vindemiolarum ſuarum, cum eſſet natura liberaliſſimus. De rebus publicis, deque Principibus libere loquebatur. Videbatur etiam mordere libenter inimicos ſuos. Ab obtrectatione tamen invidiae, quae ſolet lacerare pleroſque, ſemper alienus fuit. Multa erat in homine comitas, jucunditas & jocandi lepor, praeſertim ſi cum matronis verſaretur. Illas autem maxime adibat, quarum cognita eſſet virtus vel in agendis fabulis, vel in memoriter recitandis carminibus. Muſas enim impenſiſſime amabat; perſuadebatque diſcipulis ſuis, ne unquam ita ſe addicerent cuiquam facultatum ſeverioris, ut ita dicam, ſupercilii, quin identidem ſibi ex muſarum cantibus, ſi nihil aliud, graviorum ſaltem cogitationum allevationem peterent. Plures, qui cum eo familiaritate & contubernio conjuncti fuerunt, mihi omni aſſeveratione affirmarunt, eumdem fuiſſe vita integerrima & pietate in Deum ſumma. In morum diſciplina gloriabatur medium quiddam ſe tenere inter nimiam indulgentiam, nimiamque ſeveritatem; habebat-

que ſaepe in ore, totam vim bene feliciterque vivendi in omnium rerum humanarum contemptione & deſpicientia ponendam. Animi bona decoravit corporis figura venuſta. Talis fuit vir, in quo ſi ſpectes uberrimam & variam doctrinae copiam, ingeniique acumen, non tamen delectum & judicium, hunc non dubites cum ſummis viris, qui noſtra, patrum majorumque memoria floruerunt, comparare.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Lettere di un cordiale amico a Filalete Adiaforo di quell' Ordine de' Minori fia il B. Andrea Caccioli da Spello, Tom. II. in Torino 1727. *Opus editum eſt Romae, non vero Auguſtae Taurinorum; editumque ſecundo Lucae.*

Oratio de Sanctis Jacobo Piceno & Franciſco Solano Ordin. Minor. de Obſervantia habita Romae in templo S. Mariae in Capitolio VII. Kal. Octob. ad S. R. E. Cardinales a F. Joanne Antonio Bianchi Lucenſi. Romae ex typographia Rocchi Bernabo 1727.

—— De S. Margarita Cortonenſi Ord. S. Franciſci ad Sanctiſſimum D. N. Benedictum XIII. Romae ex typographia Rocchi Bernabo 1728.

—— Pro aperitione Comitiorum univerſi Ordinis FF. Minorum habita Mediolani in aede S. Angeli IV. Kal. Junii 17 9 ab Jo. Antonio Bianchi Lucenſi ejusdem Ordinis Fratre ac Romanae Provinciae Miniſtro. Mediolani 17 9. ſumptibus haeredum Dominici Bellagattae.

Ragioni della Sede Apoſtolica nelle preſenti controverſie colla Corte di Torino. Tom I. Parte I. Informazione iſtorica diviſa in 4 parti. 1732. *Eodem anno edita fuit Pars II. memorati primi voluminis, nec non Partes I. & II. ſecundi voluminis.*

Lettere di riſpoſta di un particolare di Roma ad un amico di Napoli ſopra le pendenze di Gravina.

Della poteſtà e polizia della Chieſa, trattati due contro le nuove opinioni di Pietro Giannone dedicati al Principe degli Apoſtoli da Gian Antonio Bianchi di Lucca Frate Oſſervante dell' Ordine de' Minori Tom. I. II. III. in Roma 1745. nella ſtamperia di Pallade appreſſo Niccolò e Marco Pagliarini. *T. IV. prodiit an. 1746. Tom. V. duabus conſtans partibus ſive voluminibus prodiit an. 1750. Tom. vero V. cum indicibus univerſi operis lucem aſpexit an. 1751.* in 4.

Dei vizj e dei difetti del moderno Teatro, e del modo di correggerli ed emendarli. Ragionamenti ſei di Lauriſo Tragienſe paſtore Arcade in Roma 1753. nella ſtamperia di Pallade in 4. magno.

Tragedie di Lauriſo Tragienſe con due ragionamenti del medeſimo ſopra la compoſizione delle Tragedie Tom. IV. in 8. Roma per Generoſo Salomoni 1761. *Laelius a Vulpe Typographus Bononienſis multo antea vulgaverat pluraſque harum tragoediarum, quarum multae ſeparatim etiam in vulgus exierant.*

Scrittura legale per il Sereniſſimo Duca di Modena indirizzata alla S. Congregazione dell' acque con alcune riſpoſte fatte alle conſiderazioni di un Profeſſore Mattematico, e ad un' altra Scrittura preteſa del fu Sig. Dott. Euſtachio Manfredi. Romae typis Mainardi 1739.

Agrigentina validitatis Matrimonii ſeu diſpenſationis pro Joanne Sulli & Catharina Collidà. Memoriale facti cum Summario F. Joann. Antonii Bianchi Lucenſis Ordin. Minor. Romae 1741. Typis Franciſci de Comitibus.

Digitized by Google

Diſſertatio I. de quarta Canonica Epiſcopali ex piis relictis detrahenda. Lucae 1747. ex typographia Philippi Mariae Benedini.

Diſſertatio II. Anonymi ſuper quarta Canonica Epiſcopali ab oppoſitionibus &c. vindicata. Lucae 1748. typis Angeli Capurri.

Notizie dell' origine e dell' antichità del Ven. Monaſtero di S. Ambrogio detto della Maſſima, e della Sacra Immagine di Maria Vergine, che nella Chieſa di detto Monaſtero conſervaſi. In Roma 1755. nella Stamp. di Pallade preſſo Niccolò e Marco Pagliarini, in 4.

OPERA INEDITA

Tractatus de Romano Pontifice & ejus poteſtate.

Diſſertazione del Primato del Romano Pontefice ſopra la Chieſa univerſale ſpoſto e dichiarato nel Concilio Fiorentino.

---- Del Primato del Romano Pontefice ſopra la Chieſa univerſale conoſciuto dal Concilio di Coſtanza.

---- Delle colonie dei Romani.

---- Delle mura, recinto, e pomerio di Roma, e della ſua fondazione.

---- Della legge agraria dei Romani.

---- Del Tempio di Eſculapio nell' iſola Tiberina.

---- Sopra la legge d' amortizazione.

---- Della ſcelta de' buoni Scrittori per la lingua Latina.

---- Sopra i dubbj di abolir le feſte di precetto e di traſferirle in Domenica.

--- Sopra le prerogative di S. Gio. Laterano.

--- De S. Siricio Papa in Martyrologio Romano adſcribendo.

Epiſtola ad clariſſimum, doctiſſimum, & amiciſſimum virum Jo. Rogerium Neapolitanum Canonicum Poenitentiarum Surrentinae Metropoleos, in qua agitur de diſcurſu Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Franciſci de Vico Epiſcopi Eleuſini Canonici Lateranenſis de nova Lateranenſis Eccleſiae conſecratione.

Elementa Juris Civilis.

Libri IV. Inſtitutionum Canonicarum.

Dieci lettere apologetiche in difeſa de' Ragionamenti ſopra i vizj e difetti de' Teatri moderni contro le cenſure dell'Autore dei libri de' Teatri moderni contrarj alla profeſſion Criſtiana.

Vita del Ven. Sebaſtiano Apparifio Indiano Frate Minore Oſſervante.

Sunt & alia ſcripta minora, quae commemoranda minime putamus.

Angelus Fabronius

Petro Antonio Seraſſio

S. P. D.

Cum antea cupiebam ex inſtituto meo vitam Alexandri Guidii explicare, tum vero poſtquam cognovi eſſe quosdam, qui ſummi poetae laudem ei detrahere non verentur, id ipſum vehementiſſime optavi. Eramus coram Victoria Odescalchia lectiſſima eruditiſſimaque Matrona Philippus Bonamicius & ego, &, ut ſit, garriebamus quidquid in buccam veniebat. Caſu incidi in mentionem Guidii, nec dubitavi de hoc poeta ſic praedicare, unum eſſe e noſtris, qui, tendit quoties in altos nubium tractus, *proxime ad Pindarum accedat. Tum illa: cetera, inquit, aſſentior tibi, minime vero quae praedicaſti de' Guidio: is enim non delectu uti, non alia lege duci, quam impetu & temeritate, omninoque ebrio ſimilis furere & bacchari mihi videtur: propter elegantiam ſermonis, fabularum copiam, utiles graveſque ſententias,* εἴδωλων *ſa:*

nam effictionem malim me Menzinio, quam Guidio ſimilem eſſe. Conceſſi Matronae Menzinium in ſummorum Lyricorum ſede ponendum, & ipſum nonnullis in virtutibus vincere Guidium: hunc autem eſſe poetam contendebam,

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum.

Quis eſt vero qui neſciat primas in poeſi concedendas eſſe magniloquentiae? Hanc veluti inſignem quamdam notam proponit Horatius, qua ſcripta poetarum a ſcriptis eorum, qui hoc nomine indigni ſunt, facile dignoſci poſſint. Ait enim veros poetas ita ſcribere, ut ſi quis verſus eorum diſſolvat, & ad ſolutam orationem redigat, ordine verborum inverſo, & metro penitus adempto, nihilominus dictio poetica reliqua futura ſit, quam dictionem ille eleganter appellat membra poetae disjecti. *Hac in primis aſſequebatur Guidius, ut animos illorum, qui illum audiebant, ita afficeret, ut quocumque vellet, vel trahere vel rapere poſſet. Profecto ſi quis hunc ſtatuet eſſe poetam, qui cum ampla ſententiarum gravitate & majeſtate verborum res ante oculos*

ponat, & cum inflammatione animi, & cum quodam quaſi furoris afflatu vel frigidos calefaciat auditores, magna Guidio tribuat & concedat neceſſe erit. Non inficiabor hunc ingenio potius et vi naturae, quam inſtitutione & litteris famam magni poetae aſſecutum fuiſſe, qua re fortaſſe ipſe gloriabatur tanquam majorem laudem habiturus, ſi ingenium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Atque haud ſcio, an tibi hoc ſim probaturus; equidem non dubitabo quod ſentio dicere. Poeta, qui cum natura ipſa valeat, neminem ſibi proponit ad imitandum, & interdum artis praecepta contemnit, quo liberius atque ſublimius evolet, clamores & admirationes ſemper efficiet. Id non ſemel Guidius expertus eſt, quamvis ejus aetas in illa inciderit tempora, quibus plerique poetarum in Petrarchae imitatione tanquam in quodam ſilice adhaereſcebant. Pindarus certe ceterique Graecorum, qui maxime celebrantur, nil niſi verum & naturam quam coloribus ſuis pingerent, non ſcriptorem aliquem quem imitando exprimerent, ſibi ante oculos propoſuerunt; & cum nulla extarent praecepta dicendi, quod ſibi & cordatioribus probaretur, pro optimo putarunt. Tantum autem abeſt, ut

Digitized by Google

vulgi plauſus ii captarent, ut quasi aliena quadam lingua locuti eſſe videantur, quae a vulgari popularique ſenſu quam maxime diſtabat, poesin, quae verbis & rebus admirationem non haberet, nullam putantes. Quis negabit haec exempla reſpexiſſe Guidium, neque perterrefactum Horatianis monitis ad Pindari gloriam aſpiraſſe? Haec & alia hujusmodi non pauca attuli ad Itali poetae defensionem, molliebamque interdum jocis digreſſionibusque a proposita oratione aſperitatem contentionis, quod nihil tam vererer, quam diſplicere Matronae, cui omnia ſumma me debere profiteor, quamque, dum vivam, colam & obſervabo diligentiſſime. Quid plura? Vix ab illa diſceſſeram, cum coepi inquirere monumenta, quae ad Guidii vitam declarandam pertinerent, quod opus eo consilio ad te, vir eruditiſſime, mitto, ut si quidquam mihi excidit, in quo plus quam concedit veritas, ſtudio in poetam largitus fuiſſe videar, a te emendetur. Quantum enim judicio valeas, ſatis oſtendunt multa, quae ligata & ſoluta oratione in vulgus emisiſti, in quibus nil nisi elegans, bene moratum, perpolitum & perfectum videre licet. Fac valeas, meque mutuo diligas.

Romae Kal. Sextil. MDCCLXX.

Alexander Guidius.

ALexander Guidius Bernardi filius, & Magdalenae Figarollae civium Ticinenſium lucem Ticini aſpexit poſtrid. id. Junii ann. MDCL. In hoc natura quid efficere poſſit ad informandum poetam videtur experta. Politioris humanitatis, & communium litterarum inſtitutionibus ab ineunte aetate imbutus, non adumbrata, ſed expreſſa indicia dedit futurae virtutis, quae ſicuti alieno in ſolo clarius ſplendeſcere ſolet, ita Guidius Parmam ſe contulit. Vixit ibi aliquot annos carus Raynutio II. Farneſio, ab eoque non mediocribus beneficiis affectus eſt. Is enim poeſin amabat, nobiliſſimiſque poetis longe praeponere Guidium videbatur. Edidit hic an MDCLXXXI. Italica carmina, quae ad lyram tibicinemque cecinit in ſua Parmenſi commoratione, in quibus facile cernere licet naturale bonum degeneraviſſe vitio depravatae conſuetudinis. Nullus enim erat in Italia locus, quo non illius ſaeculi intoleranda barbaries pervaſiſſet. Eodem etiam

anno edidit melodrama, quod inſcribitur *Amalaſunta*, quodque Parmae in nobilium, ut vocabant, collegio muſici peritiſſimi cecinere. Nemo ignorat quantis fluctibus Regia illa femina agitata fuit, donec per Theodatum Etruſcorum Principem illis depulſis, tranquilla & beata vita frui potuit. Hos adverſos proſperoſque Amalaſuntae caſus profecto non ita tractavit Guidius, ut delicatum, moratumque drama illud dici poſſit: tale tamen fuit, ut maximos meruerit plauſus. His initiis ac fundamentis gloriae poſitis, Romam venit, cujus viſendae urbis diu mirabili flagrabat cupiditate. Exceptus ibi honorifice fuit a quibusdam principibus viris, & gratiam quoque iniit a Chriſtina Svecorum Regina, quae quantum faveret ingeniis, quantumque litteras litteratosque viros amplecteretur, omnibus compertum eſt. Senſit haec magnum acceſſurum ornamentum aulae & domeſticae ſuae Academiae, in quibus flos erat doctorum virorum, ſi ſecum haberet Guidium. Egit igitur cum Parmae Duce, cujus in famulatu tum Guidius erat, ut virum muſis amiciſſimum deſiderio ſuo con-

cederet ; quod quidem pro ſua auctoritate facile impetravit. Tale autem judicium Reginae non tam dignitate, quam doctrina ampliſſimae non potuit Guidio non ſumme eſſe jucundum; vehementerque laetatus eſt dari ſibi fructum otii ad eas artes, quibus a primis aetatis temporibus deditus fuerat, magis magiſque celebrandas. Rebus igitur ſuis Parmae compoſitis, Romam rediit ineunte Majo an. MDCLXXXV. Atque illud fuit tempus cum Guidius ad perfecti poetae laudem acceſſit, quod qua ratione conſecutus ſit non eſt praetereundum. Ubi primum Romam venit, in amicitiam incidit quorumdam doctorum virorum, quos aequus ita amavit Jupiter, ut uni declinare potuerint labem illam ac coenum, in quo iis temporibus miſere jacebat poeſis. Dolebant hi tantam eſſe corruptelam malae conſuetudinis, ut ab ea fere extinguerentur mirabiles igniculi, quos a natura habuerat Guidius. Hunc igitur monere non ceſſabant, ut, vulgi inſanis plauſibus contemptis, eam viam laudis duceret eſſe rectiſſimam, quam e Graecis Pindarus, e Latinis Horatius, e noſtris vero Pe-

trarcha & Chiabrera tritam reliquerunt. Horum vocibus impulſus dedidit ſe optimorum ſcriptorum lectioni, in quibus cum eſſet ſtudioſe & multum volutatus, ſentire coepit quantum abeſſet a magnorum exemplarium perfectione. Haec ille intuens, & amice conjungens ingenium & ſtudium, ita coloravit ac roboravit ſtilum ſuum, ut multis poſt ſe relictis illius aetatis poetis, honorem nomenque immortale ſuis carminibus pepererit. Furit ille quidem, ſed illo furore, ſine cujus afflatu neminem bonum exiſtere poſſe poetam Democritus & Plato tradiderunt. Cum illum procul a terra abripit aeſtus ingenii ſui, jam jam, caſurum anxius times, mox ipsi praepete penna trajecto & in tuto poſito gratularis. Omnino, quod Pindaro laudi datum eſt, *fervet, ruitque immenſus ore profundo*, nec facile invenies, qui propius accedat ad illum poetam, cujus periculoſiſſimam eſſe aemulationem omnes una voce conſentiunt. Noverat ipſe Guidius quantam caeleſtem vim in ſe contineret, quapropter utens libertate, quam Ariſtoteles ſummis conceſſit poetis, de ſe glorioſius praedicabat, quam illius inimici pati

pati poterant. Hi enim praeclaram illius famam ſuum dedecus exiſtimantes, ſtrepebant, obtrectabant, & nihil illo fieri poſſe levius atque inſolentius autumabant. Horum in numero erat omnium Gravinianorum exagitator acerrimus Q. Sectanus, qui derisam praeſertim a ſe Guidii inſolentiam illis carminibus putabat *:

Et qui gibboſo feriebat nubila dorſo,
Dum ciet alatos centum ſuper aſtra jugales.
Rore caballino paſtos, ſalſiſque cicadis.

Quae ſpectant ad illos Guidii verſus:

Et ho cento destrieri
Su la riva d' Alfeo
Tutti d' eterne penne armati il dorſo,
Che certo varcherian l' immenſo corſo.
Che fan per l' alta mole
I cavalli del Sole.

Sed concedamus homini gloriae & immortalitatis cupidiſſimo propriarum laudum prae-

* In fin. Sat. III.

dicationem, praeſertim cum ſe defendere potuerit multorum virorum & clariſſimorum exemplo. Genus autem illius ſcriptorum ita cepit & incendit Chriſtinam, ut ab eodem potiſsimum cuperet ornari & celebrari res ſuas. Sic enim non tam propriae, quam Guidii gloriae conſulere exiſtimabat, imitans Alexandrum, qui ſe ab Apelle potiſſimum pingi, & a Lyſippo fingi velle dicebat, quod illorum ars cum ipſis, tum ſibi futura eſſet glorioſa. Quidquid vero Guidius intelligebat aut ad amplitudinem, aut ad voluntatem Chriſtinae pertinere, mira alacritate & ſtudio perficiebat; & hoc tantum nomine ſe beatum putabat, quod Deus ſiviſſet ſpectatorem & exornatorem eſſe tantae Reginae laudum. Quae quidem cum vellet decorare illam ſolemnem legationem, quam Jacobus II., poſtquam Britanniae Rex declaratus eſt, ad Innocentium XI. miſit, ex omnibus ſuis Academicis elegit Joannem Franciſcum Albanium Praeſulem ampliſſimum, & Alexandrum Guidium ad ejusdem Regis laudes cum oratione, tum verſibus concelebrandas in frequentiſſimo praeſtantium virorum conventu, quem in ſuis

aedibus habuit. Melodrama, quod compoſuit Guidius, totum illuſtratum erat clariſſimis verborum & ſententiarum luminibus: quia vero ei deerat tenerum ac molle quoddam, ita torſit muſicae effectorem, ut cani illud ad harmoniam poſſe prope deſperaret. Praeter haec alia habuit Guidius a Regina mandata, quibus ad ſuum munus penſumque ſe revocari dicebat, quamvis nunquam intermitteret ſcribendi exercitationes. Condidit illius juſſu Endimionis fabulam, in qua ſibi propoſuit ſic exponere paſtoritios mores, ut ſublime aliquid in ſe continerent. Errant ii, qui ab hujuſmodi moribus nonniſi ſtabulum olentia deduci poſſe autumant; & ſi cui ſaepe nimis immoderatione gravium ſententiarum efferri Endimion videtur, conſideret ille quantum caeleſtis luminis ad hunc amans Dea transfundere potuerit. Porro non mediocre fuit fabulae ornamentum, quod Regina cum carminibus Guidii conjunctim quaedam ſua contexere voluerit, quodque Janus Vincentius Gravina de laudibus ejusdem fabulae commentariolum ſcripſerit. In hoc plura ille, quam moderata debitaque laus, &

propoſitum argumentum deſiderabant, complexus eſt; *fecitque*, ut Ciceroniano illo utar, *quod ſaepe liberales venditores ſolent, ut cum aedes fundumve vendiderint, rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa apte & loco positum eſſe videatur*. Initio Guidius fabulam in tres actus diviſit, mox quinque fecit, & unicuique ſuum attribuit chorum. Hi autem chori tanto ceteras fabulae partes pulchritudine vincunt, quanto his praeſtat ode, qua poeta hanc ſuam fabulam Cardinali Joanni Franciſco Albanio (nam quo tempore illa edita eſt, Chriſtina Regina mortem obierat) dicavit, & in qua vitae ſuae curſum magnifica & glorioſa oſtentatione deſcribit. Aliam & contexuit fabulam, in qua Apollinis amores, repulſasque Daphnidis ſic expoſuit, ut in illa grandis & amplus Guidius cognoſci poſſit, non tamen venuſtus & ſuavis. Ipſe autem cum ampla ſententiarum gravitate majeſtateque verborum grandiloquus praeſertim fuit in iis odis, quas ad temperandum maximum & acerbiſſimum dolorem ſuum ob Reginae mortem de hujus laudibus condidit, & in Arcadum con-

ventu recitavit. Una ſe vicit, cum ceteros omnes ſuperaſſet poetas, qua Fortunae poteſtatem atque inconſtantiam perſequitur, quaeque memoriter ab iis recitari ſolet, qui cum muſis Italicis commercium ſe habere gloriantur. Has odas reſpiciens Janus Vincentius Gravina in epiſtola quadam ad Scipionem Maffejum, in qua de Italica poeſi loquitur, libereque mordet tum cunctantem & nimis verecundantem imitationem, tum effrenatam impudentemque licentiam, *inventum eſſe*, ait, *ſuo aevo Alexandrum Guidium amiciſſimum ſuum, qui primus mortales tollere contra ſit oculos auſus, primuſque novorum inſolentiam candore atque caſtitate veteris locutionis, & imitatorum ſervitutem moderata elatione ſpiritus & colorum novitate declinarit*. At Guidii carmina non pari modo probabantur ab omnibus. Nonnulli enim laesa ab eo artis praecepta, & ſine metrica lege, quo impetus rapiebat, eum excurrere dicebant, non luxuriantia compeſcere, non aſpera mollire, non inflata gravius moderari, nec ſemper tollere virtute carentia. Tanta varietas & diſſenſio judiciorum de Guidio turbas aliquas in Arcadia ex-

citaverat. Ipſe autem invidorum reprehenſiones contemnens, contentioneſque evitans, unice intentus erat ad Arcadiae gloriam cum ſui nominis fama magis magisque provehendam. Arcadiae etiam honori in eo ſe ſervire exiſtimavit, quod illius Paſtoribus ſedem obtinuit in Palatinis hortis; quod ejusdem Cuſtodem Marium Creſcimbenium domo avunculi profugum Farneſianis aedibus, in quibus ipſe liberalitate Parmensis Ducis habitabat, excepit; quodque generoſos quosdam adoleſcentes diſciplina poetica erudiebat, & ad magna tentanda inflammabat. Sed hi dum ſtuduere Guidium aemulari *ceratis ope Daedalea pennis*, *vitreo* dederunt *nomina ponto*. Venit aliquando Guidius Bononiam, & qui in ea civitate tum poetica laude florebant (& multi quidem florebant) ejus celebritate nominis excitati ad audienda carmina ex ipſo cupide convolarunt. Illa quidem ad caelum extulere; talia tamen eſſe minime exiſtimarunt, quin aliquis Guidii ſimilis eſſe poſſet: quod cum conati eſſent, viderunt ſtatim deſperatiſſimam eſſe ſpem eo perveniendi, quo intendebant. Interea Pon-

tifex Maximus creatur Cardinalis Albanius, quae res magnas fortunas portendere Guidio videbatur. Nam omni tempore non obſcuras amoris & exiſtimationis ſignificationes ab ipso acceperat. Ut vero Pontificis animum magis magisque ſibi demereretur, novam ſuorum carminum impreſſionem illi dicavit, atque Italicis verſibus reddendas ſuſcepit, quas idem Pontifex in ſolemnioribus quibusdam feſtis habuerat, Latinas Homilias. Perfecit opus, in quo cum minime ei liberum fuiſſet advolare, quocumque ingenii ſui aeſtu abriperetur, non adeo magnus, ſicuti alias, poeta apparuit. Non tamen dubito, quin aequus judex ingentes conceſſurus ſit laudes huic interpretationi, reputetque malevolentiae & livoris plena illa Q. Sectani.

Attamen inverſos Tuſco dum carmine vultus
Intueor, notaeque fugit me gratia formae,
Exclamare libet: quae tanta audacia, fuco
Caeleſtis faciem matronae obnubere! non eſt
Fas tibi ridiculas in templum adducere pupas,
Aut centum . . . . Cineri ſed parcat muſa
ſepulto;

Quin tumulum ſpargam foliis, quae Phoebus amavit,
Perpetuaque roſa: dum non tam dira cupido
Sollicitet manes, Torquato ut proximus eſſe
Carminibus, ſocioque velit contendere buſto,
Et paribus miſerum titulis incedere ſaxum.

Cum putaret Guidius ſe immortalem jam gloriam lyrica poeſi adeptum eſſe, voluit ſenex aliud genus poeſis, nempe tragicae, tentare. Quantum autem viribus ſuis confideret, ex eo conjici poteſt, quod animum ſtatim ad Sophonisbam convertit, ſperans ſe de laudis poſſeſſione, quam in hoc pertractando argumento merito occuparunt, Triſſinum & Cornelium poſſe deturbare. Inſtitutum jam opus ſubjecit intelligentium amicorum judicio, a quibus admonitus fuit, ut illud abſolvere deſiſteret. Nam in omni parte mens Guidii ſpirabat; iſque ſibi ſemper ſimilis non ſolum Reginam, ſed etiam ancillam ore rotundo loquentes inducebat. Abjecta tragoedia, cogitavit hortatu Marii Creſcimbenii in Italicos verſus convertere Davidicos Pſal-

mos *. Et par quidem operi eſſe poterat; quod in primis pollere prophetico quodam ſpiritu videbatur. Sed coactus domeſticis ſuis rebus Roma diſcedere, ab illa quoque mente diſceſſit; totumque illud tempus, quo in patria fuit, urbanis officiis, & ſui & ſuorum civium utilitati libentiſſime conceſſit. Erat oppreſſa tributis Mediolanenſis Provincia, nec deerant, qui ſpecie eam levandi prorſus evertere tentarent. Re delata ad Caeſarem, ejus cognitionem mandavit Principi Eugenio Sabaudo, qui eamdem Provinciam

* Cum ſacrum aliquod ſcripſiſſet carmen, de ſe dicere minime dubitavit.

Io quì canoro veglio
Sulle terga dei venti
Commetterò parola,
Che eternamente vola
Tinta d'ambroſia alle remote genti,
E dirà in ſuo linguaggio,
Mirabil opra di celeſte raggio.

Numina quidem nectar & ambroſiam ſummo poetae paraſſe videbantur.

gubernabat; denuntiatumque eſt omnibus civitatibus, ut proponerent, quae contra afferri poſſent. Ticinenſes Guidium elegerunt ad patriae defenſionem; iſque pro bono & aequo adeo multa & valida ſcripto perſecutus eſt, ut Judicem in ſuam traxerit ſententiam. Sic unius viri prudentia & eloquentia non Ticinum ſolum, ſed & tota Mediolanenſis Provincia magno timore liberata eſt, pro quo tale ei praemium tributum, ut inter Ticinenſes Patricios honorificentiſſimo decreto referretur. Romam Alexander redux totum ſe contulit in procurandam impreſſionem interpretationis, quam feciſſe diximus, Homiliarum Clementis XI. Illa autem abſoluta, rem gratam ſe facturum Pontifici putavit, ſi ſine mora ad eum, qui in Gandulphiano ruſticabatur, librum detuliſſet. Cum in viam ſe dediſſet, lectitaretque ipſum librum, incidit in σφαλμα, quod ſummam correctorum diligentiam effugerat. Qua re adeo excanduit iracundia, perinde ac ſi nihil ei ad exiſtimationem turpius, nihilque ad dolorem acerbius accidere potuiſſet. Ita affecto animo cum conſediſſet in Tuſculano, poſtridie ma-

ne in Gandulphianum venturus, correptus fuit apoplexi, poſtquàm paucis vixit horis. Hae ad confirmandam, quae de ejus in Deum pietate erat, opinionem plurimum valuerunt. Sancte enim & impavido animo mortem oppetiit. Juſta ei ſatis ſplendida facta fuerunt in principe Tuſculana Eccleſia; conveneruntque amici ad ea cohoneſtanda. Ex omnibus maxime Guidii mortem doluiſſe viſus est Clemens XI. cujus juſſu defuncti cadaver Romam ad S. Honuphrii translatum, ibique ſepultum prope Torquati Taſſi cineres cum hac inſcriptione.

D. O. M.

ALEXANDRO GVIDIO PATRICIO
TICINENSI
LYRICAE POESIS CVLTORI CELEBERRIMO
ERVDITORVM LAVDIBVS VRBIS PLAVSV
MAGNORVM PRINCIPVM
FAMILIARITATE ET HONORIBVS
ILLVSTRI
QVI DVM MAXIMI
SANCTISSIMIQVE PONTIFICIS

CLEMENTIS XI.
SACRIS HOMILIIS ITALICO CARMINE
DONANDIS INCVMBERET
SVB ONERE SPLENDIDISSIMO
IN TVSCVLANA CIVITATE
ACERBO INTERCEPTVS FATO
GLORIAE POTIVS QVAM DIERVM
PLENVS OCCVBVIT
LVDOVICVS EX PRINCIPIBVS
MIRANDVLAE
TIT. S. SILVESTRI IN CAPITE PRAESB.
S. R. E. CARD. PICVS
APOSTOLICI PALATII PROPRAEFECTVS
ANNVENTE PONTIFICE
HVC VSQVE TRANSLATO TVMVLATOQVE
CORPORE
VT QVOD ILLE IN VOTIS HABVERAT
PROPE MAGNI TORQUATI TASSI
CINERES CONQVISSCERET
MONVMENTVM POSVIT
OBIIT DIE XII. IVNII MDCCXII.
AETATIS SVAE AN. LXIII.

In hoc quoque Pontificis amor in Guidium cognitus eſt, quod cum per hoſce dies ad

Digitized by Google

eum veniſſet Bernardinus Perfectius, hunc ad canendas Guidii laudes extemporali carmine, in quo quantum is valeret nemo ignorat, invitavit. Quoniam autem vera laus uni virtuti debetur, magis quam Guidii praeſtantiam in poeſi, ejus animi bona praedicare Perfectius viſus eſt. Erat is quidem prudens, magnique conſilii, affabilis, injuriarum patiens, erga omnes, ac praeſertim amicos, egenteſque, quantum ejus fortunae patiebantur, liberalis, beneficiorum, ſi quis unquam alius, memor & gratus, parvoque contentus. Quo fiebat, ut ejus obſervantia multis principibus viris eſſet cariſſima, cum eam officio, non ſpei tribui viderent. Luctabatur cum morte Chriſtina Regina, & qui in ejus famulatu erant, ad eam accedebant, ut extremos illius liberalitatis fructus colligerent. Unus Guidius, qui nihil faciebat cauſſa ſua, abfuit a morientis lecto; neque alia de re ulla cognitus eſt ſollicitus, niſi ut ſuis aliorumque precibus Deum illi propitium faceret. Deploravit vero orbitatem & caſum tantae Heroinae, ut vel ipſa diuturnitas temporis nunquam ſanare potuerit acerbiſſimum

illius vulnus. Hoc quoque ſit Guidii bonitatis exemplum, quod ſi aemulatione laudis cum aliquo concertaſſet, non tam id laborabat, ut illum ſuperaret, quam intelligi cupiebat, illum a ſe & amari & obſervari. Atque utinam ut culpam, ſic ſuſpicionem ſuperbi & contumacis animi evitaſſet. Nam eodem tempore, quo ſe venerabatur, & beatus laudabat quidquid ſcribebat, haec ipſa ſcripta doctorum non ſolum, ſed etiam vulgi judicio ſubjiciebat, deque eorum ſententia non pauca mutabat. Multarum rerum ignarus ne Graecam quidem noverat linguam. Cum igitur interpretum ſubſidio vix ad mentem Pindari penetrare potuiſſet, non tamen de ſe dicere verebatur:

Non è caro agli Dei Pindaro ſolo.

Etenim ei erat perſuaſum grave plenumque carmen caeleſti aliquo mentis inſtinctu, non imitatione fundi ſolere; neque effoetam eſſe naturam, quin validos & grandes partus, ut antea, poſſet edere. Atque hic tantus vir ut naturam fautricem habuerat in tribuendis ani-

mi virtutibus, ſic maleficam nactus eſt in corpore; gibbus, & caecus altero oculo. Graviſſima paſſus eſt incommoda valetudinis non tam propter gracilitatem, quam propter immoderatas exercitationes poeticas. Nam dum carmina componebat, nunquam ſe finire velle ſtudia, & mentem recipere videbatur; *inſenuitque*, ſimilis Horatiano illi poetae

Libris & curis, ſtatua taciturnior exit
Plerumque, & riſu populum quatit.

Google

OPERA EDITA

Poeſie liriche. In Parma 1681. in 12. *Carminibus accedunt nonnulla ſoluta oratione ſcripta.*

Amalaſunta in Italia Dramma di Aleſſandro Guidi poſto in muſica da Gio. Battiſta Polici, e fatto rappreſentare dal Sereniſſimo Sig. Duca di Parma nel teatro del Collegio de' Nobili l' anno 1681. in Parma per Galeazzo Roſati in 4.

Accademia per muſica fatta nel Real Palazzo della Maeſtà della Regina Criſtina per feſteggiare l' aſſunzione al trono di Giacomo II. Re d' Inghilterra in occaſione della ſolenne ambaſciata mandata da S. M. Britannica alla S. di N. S. Innocenzio XI. verſi di Aleſſandro Guidi Accademico Reale. In Roma nella Stamperia della R. C. A. 1687.

L' Endimione di Erilo Cleoneo Paſtor Arcade, cioè Aleſſandro Guidi, con un Diſcorſo di Bione Crateo, cioè Vincenzo Gravina; in Roma per Gio. Giacomo Komarek Boemo 1692. in 4.

La Dafne cantata: Roma per Gio. Giacomo Komarek. 1692. in 4.

Sei Omelie di N. S. Clemente XI. ſpiegate in verſi. Roma per Franceſco Gonzaga 1712. in fol.

Scrittura in forma di memoriale contro il nuovo ſiſtema de' peſi dello ſtato di Milano.

Rime. Roma pel Komarek 1714. in 4. *Guidii carmina ſecundo edita fuerunt Veronae, & tertio Venetiis cum ejusdem vita ſcripta a Mario Creſcimbenio.*

Relatum

Relatum eſt etiam in carminum volumen Ragionamento di Erilo Cleoneo in morte di Ranuccio Farneſe Duca di Parma recitato nel Boſco Parraſio a' 12. Giugno 1695.

Poſtquam recenſuimus, quae reliquit, opera Guidius, locus fortaſſe fuiſſet recenſendis clarorum virorum de illo teſtimoniis, ut noſtra ſententia de ipſius praeſtantia in poeſi majorem auctoritatem haberet. Sed cum id nimis longum eſſet, ſatis erit indicaſſe non vulgaria eidem praeconia tribuiſſe vel ejusdem aemulum Benedictum Menzinium, Nicolaum Ciccognarium, Joannem Baptiſtam Cottam, Antonium Dominicum Norſiam, Paullum Antonium Appianium, Ludovicum Antonium Muratorium, Gregorium Caropreſium, qui commentariis illuſtravit ejusdem oden de Arcadiae legibus, Alexandrum Burgos, Joannem Baptiſtam Zappium, &, ut alios multos praetermittam, Marium Creſcimbenium, & Petrum Jacobum Martellium, qui duo poſtremi ejusdem etiam vitam Italice ſcripſere. Quid vero ſentiret Martellius de Guidio elegantiſſime expoſuit in quodam ſuo de arte poetica Sermone, haec ſcribens.

Ma il Guidi ognor su l' Apollinea ſoglia
Cento alati cavalli al freno ha pronti,
Per farſi alto levar dovunque ei voglia.

Ei pur degl' incredibili ne' fonti
Bee l' immagini elette, a cui vuol fede,
Quaſi uom, che il vero ed infallibil conti.

E ſe a lui credi , ei di ſe ſteſſo il crede ,
Parla e ſente di ſe qual d' un , che i cieli
Scelſero a por di là da morte il piede ,

A ſquarciar dell' obblio ſu i nomi i veli ,
A ſtar del mondo a ragionar coi fati ,
De' quai gli ordini eterni ei ſol riveli .

Rapito il miri in ſu le vie de' Vati
Trattar le nubi, e dietro a ſe la traccia
Per grand' aria laſciar di lampi aurati.

E parlar con le Muse a faccia a faccia ,
E gir ſicuro infra gli Dei fin dove
Mormora il tuono , il fulmine minaccia .

E con la lingua, che imparò da Giove ,
Cantar di Roma i maeſtoſi avanzi,
De' figlj antichi ſuoi l' eroiche prove ;

Sogni d' infermi , e fole di romanzi ,
E pur mercè de' carmi ſuoi le accolgo
Sacre, come a me ſacro il ver fu dianzi .

Fiſo a' novi ſuoi canti a me mi tolgo;
Nè sò come ſublime e chiaro uom poſſa
Parlar da Nume , e che l' intenda il volgo .

Angelus Fabronius

Victorio Alfierio Comiti

S. P. D.

Fuit profecto tempus, quo poetae noſtri ex una hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi ex tempore de quocumque propoſito argumento ceciniſſent, quod divinam mentis originem ac vim prope incredibilem in primis prodere arbitrabantur. Qui hoc ſuſcipit, non tam valere ingenio & doctrina debet, quam divino quodam ſpiritu afflari, quo per omnia permeare & transire facile atque admirabiliter poſſit. Quoniam vero duae ſunt maxime res, quae permulcent aures, ſonus & numerus, hae quoque in extemporalis poetae poteſtate eſſe debent, & niſi has ipſas adjunxerit ad elegantiam verborum, & ad illa poetica ornamenta, ab eo celerrime faſtidio quodam & ſatietate auditores abalienabuntur. Hujus artis origo vix reperiri poteſt: admodum tamen credibile videtur paſtores vindemiatoreſque cum bucolicis modis ſe ſe invi-

cem provocabant, non alio niſi hoc poeſis genere uſos fuiſſe. Poſtquam Homerus cura & vigiliis verſus ornavit elaboravitque, qui conſecuti ſunt Graeci poetae, limae laborem & moram neceſſariam adeo poesi exiſtimarunt, ut nil niſi diligentia atque arte ſumma perfectum, & tanquam elucubratum in vulgus emitterent. Aut nulli igitur tunc temporis poetae extemporales fuerunt, aut ſi qui extitere, nulla de iis fama percrebuit, neque eorum nomen literarum monumentis conſecratum eſt. Poſterioribus temporibus Maracus & Carmus Syracuſani, & Antipater Sidonius verſus quoſvis ex tempore fudiſſe dicuntur, & locuples ſane auctor Strabo ſcripſit hanc artem a multis Tarſi, celebri quondam urbe & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti, excultam & celebratam fuiſſe, unde Tarſici hujuſmodi poetae appellati ſuere. Multis ſaeculis ante Catonem, ut ipſe, teſte Cicerone, in Originibus ſcriptum reliquit, ſinguli convivae ad tibicinem carmina canebant de clarorum virorum laudibus, neque eos meditata, ſed e re nata protuliſſe ar-*

* Lib. IV. ſect. 18.

*bitror. Idem Cicero ſe ſummopere ſemper admiratum Archiam fuiſſe fatetur, quoties illum vidit, cum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de illis ipſis rebus, quae tum agebantur, dicere ex tempore, revocatumque eamdem rem dicere commutatis verbis atque ſententiis. Sub Imperatoribus auditi quoque cum plauſu extemporales poetae fuere, ut indicant ea, quae de Remmio Palaemone ſcripſit Svetonius *; & ipſe Papinius Statius viſus eſt ſibi plauſiſſe, quod biduo exaraverit multorum verſuum epithalamion, & uno die villam Tiburtinam deſcripſerit, aliaque hujusmodi pene ex tempore condiderit, quae Domitiano Imperatori conſecraret. At prudentioribus ſuſpectum eſſe ſolet hoc ſcribendi genus, & merito carpi ab Horatio affirmant poetam, qui*

. . . . . in hora ſaepe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat, ſtans pede
in uno.

Quanquam Latine loqui Itali deſierint, non de-

* Cap. XXIII. de Illuſtr. Grammat.

fuere tamen apud nos multi, ſaeculis praeſertim XV. & XVI. qui ab extemporali Latina poeſi laudem & famam quaeſiere, memoranturque maxime Franciſcus Philelphus, Joannes Picus Mirandula, Camillus Quernus, & Andreas Maro, de quo ſic praedicat Jovius, unum extitiſſe, qui ante cogitata proferre judicatus eſſet, niſi cum dicebat, eo furore & oeſtro percitus fuiſſet, ut niſi divinae ſemina mentis tantus impetus habere non poſſe videretur. Sed mea quidem eſt ſententia nullam linguam Italica aptiorem eſse hujus poeſis generi, quod copioſa ſit, dulcis, canora, volubilis, quam, qui tenent inficiunt & flectunt, ut volunt. Hinc factum putatur, ut in Etruria praeſertim, in qua purum quaſi quoddam & candidum loquendi genus cum lacte nutricis homines ſugunt, extemporales poetae extiterint vel ab iis ferme temporibus, quibus orta eſt Italica poeſis. Ii tamen praeſertim floruere exeunte ſaeculo XV., & in ipſa domo Laurentii Medicis ſaepe exercebant ingenium & vires ſuas, differentes in utramque partem de immortalitate animorum, de optimo Reipublicae ſtatu, de vita beata, aliiſque hujuſmodi philoſophicis diſputationibus. Cum ceteri in hoc campo curre-

rent, non cubabat vir ſummus in herba, atque multos facilitate carmina fundendi ſuperare videbatur. Nec vero quemquam nobiliorem habeo, quem nominem, Chriſtophoro Florentino, qui laurea donatus eſt, quique cognomen Altiſſimi *habuit. Maxima quoque laus in extemporali poeſi tributa fuit Bernardo Accolto Aretino, Panphilo Saxo Mutinenſi, Hippolyto Ferrarienſi, Sylvio Antoniano, aliiſque multis, quos longum eſſet recenſere. Sed quod hoc dicendi genere maxime hilarari & gaudere videtur Florentinorum civitas, jamdiu apud eos viguit mos canendi verſus ex tempore, nec docti modo homines, ſed & ruſtici, artifices & feminae plures hac laude maxime celebrati fuere. Horum extant carmina nonnulla, quae tantum argutiarum, tantum urbanitatis, tantum poetici ornatus habent, ut non modo vulgi aſſenſu & populari approbatione, ſed & prudentiorum plauſibus digna fuiſſe videantur. Quis noſtris etiam temporibus audit Magdalenam Morelliam aut graviter, aut facete & ridicule explicantem propoſita ei argumenta, quin interdum clamet, nihil potuiſse fieri melius ab iis, qui accurate cogitanque ſcribunt? Quam ipſa natura valet, quam mentis viribus excitatur, quam divino quodam ſpiritu inflatur! Quis advenarum*

eam non audire cupit, quis non admiratur, quis non Etruriae divino quodam dono & munere commendatam feminam non invidet? Quis non ſuſpicit, ut de aliis ſileam, expeditam & profluentem celeritatem dicendi in Jannetio, qui magnam vim nobiliorum verſuum fundit, ut legentem te audire putes? Ego ſane in hoc maxime delector; ceteros pulcat, si qui ita ſe litteris abdiderunt, ut leve illis videatur quidquid non eſt perfectum ingenio, atque induſtria ſumma elaboratum. Ea propter vitam Bernardini Perfectii ſcribendam ſuſcepi, qui patrum memoria tantam admirationem extemporali poeſi commovit, ut nemo eſſet tam averſus a Muſis, qui eum non coleret, ac ſummis honoribus afficeret. Atque ut id libentius facerem hortator tu acceſſiſti, cujus auctoritati ſcis quantum tribuam. Nae ego tibi maxime placere vellem, quod ſis omnis generis poeſis aeſtimator optimus, quodque effeciſti, ut quo uno genere vincebamur a Gallis & Britannis, in hoc quoque nihil iis concedamus. Eas enim condidiſti tragoedias, quae ob magnificum quoddam, ſobrium tamen & temperatum dicendi genus Sophocleae vere appellari poſſunt, & in quibus tanta eſt ars ad ſenſus movendos & la-

erimas exprimendas, ut multos a ſcribendo deterrueris. Perge, mi Alfieri, edere quae reſtant, & locutionem emendatam, & vere Etruſcam colere, quae fundamentum omnis ſcriptionis eſſe debet. Fuit haec quidem aliquando noſtrae provinciae propria laus; ſed poſtquam in illam influxerunt multi inquinate loquentes, & Gallicae linguae, ſcriptorumque Gallicorum ſtudium omnium mentes occupavit, amiſimus priſtinum illum candorem, tanquam innocentiam, quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda, tanquam obruſſa, ratio, quae mutari non poteſt, nec utendum praviſſima conſuetudinis regula. Vale.

Piſis Kal. Febr. MDCCLXXXV.

Bernardinus Perfectius.

BErnardinus Perfectius natus eſt Senis nobiliſſima Etruriae urbe, nobiliſſimiſque parentibus Petro Angelo Perfectio, & Urſula Amerighia anno a reparata ſalute MDCLXXX. VI. id. Septembris; educatus autem ſic, ut nemo aequalium magis. Degens in patrio collegio ſub Jeſuitarum diſciplina, ſtudia humanitatis & philoſophiae coluit, nec mediocrem operam juris prudentiae impertivit. Sed nulla re magis quam Italica poeſi delectatus eſt, ad quam a natura non modo factus, ſed elaboratus fuiſſe videbatur. Nam ſeptennis quaedam ejus generis carmina, quae a nobis Italis *Sonetti* appellantur, ſane tolerabilia confecit; & illa ipſa aetate non ſemel auditus fuit verſus ex tempore fundere vel in materna menſa (patrem enim infans amiſit) vel in aequalium corona. Cum igitur quo quiſque fertur danda eſſe vela intelligeret, nullum abire ſinebat diem, quo plurimum cum Muſis non verſaretur. Latinas initio coluit, quod illi

vere erat perſuaſum ſine iis Italicas inopes & infirmas eſſe; libros omnes, qui artis praecepta tradiderunt, volutavit; continua optimorum ſcriptorum lectione Etruſcae linguae affluentibus copiis ſe ditavit; nihilque earum rerum omiſit, quibus id, quod expetebat, conſequi ſe poſſe confideret. Iis temporibus florebat Senis acumine ingenii, & admirabili quodam lepore Joannes Baptiſta Bindius, cui tam facile erat ludicros verſus ad imitationem Berni ex tempore conficere, quam homini loqui. Audivit illum quodam die Perfectius; & quoniam facile omnes trahimur laudis ſtudio, ſenſit ille maxime animum ſuum inflammari ad eosdem plauſus, qui Bindio tribuebantur, promerendos. Primum, amicis ſolum paucis audientibus, ingenii ſui periculum fecit, quod cum feliciter illi ſucceſſiſſet, brevi, iisdem hortantibus amicis, e privatis latebris in publicum conſpectum lucemque hominum prodiit. Acceſſit & aliud incitamentum. Inambulabat per urbem Bernardinus aeſtivo nocturno tempore magna ſtipatus amicorum caterva. Cum ille coepiſſet veluti per jocum canere de laudi-

bus clarorum quorumdam Senenſium, tanto ſe animi impetu ac furore correptum ſenſit, ut ex tempore flumen fuderit optimorum graviſſimorumque verſuum, & obſtupeſcentibus omnibus, domum ſuam, quaſi ad triumphum, ductus fuerit. Ipſe autem cum intelligeret quam arduum eſſet tueri perſonam extemporalis poetae, qui hoc ſuſcipere ac polliceri videtur, ut de omni re, quae ſit propoſita, ab eo poetice, ornate, copioseque dicatur, omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam ſic tenendam putavit, nihil ut ſibi prope ſtatueret licere neſcire. Itaque non dubitaverim eumdem praedicare theologum, philoſophum, mathematicum, juris conſultum, ſatis anatomes & medicinae peritum, ex quarum facultatum cognitione ſemper ejus verſus efflorefcebant ac redundabant Mirum vero quam in promptu haberet exemplorum vim, ut omnis antiquitas, omniſque hiſtoria poſita ante oculos ejus eſſe videretur. Romae cum eſſet, & de more verſus funderet ex tempore, incidit in intimum theologiae locum percunctatione quaeſitum, huncque docte adeo tractavit, ele-

Digitized by Google

ganterque adeo expoſuit, ut qui aderant theologi, & in his Bernardus Vargas Hiſpanus e S. J., nihil ſimile unquam ſe audiviſſe pronuntiaverint. Nec minus obſtupuit Caeſar Calinius ex eadem Societate editis in ſacram Scripturam commentariis illuſtris, cum Bononiae audivit Perfectium ita de Regum hiſtoria quaerenti reſpondentem, ut omnium tum Judae, tum Iſraelis Regum nomina ordine enumeraret, & clariora facta recenſeret. Poſſem & alia multa exempla proferre, ex quibus intelligi poſſet quam Perfectius ornatus eſſet uberrimis doctrinis & artibus; ſed prolatis contenti erimus, praeſertim cum vivant adhuc plurimi, qui cum ſaepe Perfectio canenti adfuerint, nulla unquam in re illi propoſita haeſitaſſe, aut rudem ſe oſtendiſſe, nulliſque terminis circumſcripſiſſe juſſuum teſtentur. Quae cum per ſe magna ſint, neceſſe eſt etiam mirabilia fuiſſe, quod omnia claris artis ſuae coloribus pingeret Perfectius. Cum ad dicendum accederet, poſcebat argumenta plura, electionem auditoribus permittens; prooemiabatur apte, narrabat aperte, ornabat accommodate ad rerum

dignitatem, docebat, delectabat, afficiebat; cumque incredibili eſſet memoria, breviter colligebat omnia, quae multis verbis antea dixerat. Inter dicendum *divino quodam furore*, quod de Jone affirmavit Plato, *corripiebatur*, *ut ii qui Corybantum ſpiritu aguntur*; ardebant oculi, criſpabatur frons, anhelabat pectus, ceteraque omnia apparebant indicia furoris, ſine quo Democritus Abderites, ut teſtatur Cicero I. de Divinatione, utque nos alias commemoravimus, quemquam magnum poetam eſſe poſſe negabat. Et profecto extra ſe rapi, & sui quodammodo oblivifci is debet, qui alienam perſonam induit, alienos mores, alienos affectus, aliena facta dictaque aptis verbis & ſententiis exprimere ſtudet. Quare de Perfectio Ariſtotelia illa de Maraco Syracuſiano praedicari poſſunt: Μάρακος δὲ ὁ Συρακούσιος καὶ ἀμείνων ἦν ὁ ποιητὴς, ὅταν ἐκσταίη. Frigida inter canendum utebatur non ſolum ad fauces recreandas, ſed etiam ad animi temperandum ardorem: cum vero finem canendi feciſſet prope exanimatus jacebat, noctem, quae cantum conſequeretur, tranſigere cogebatur inſomnem, nec niſi longo poſt

tempore vehemens ſanguinis motus conſidebat. Idcirco verſus cantando pronuntiabat Perfectius, ut aliquid ad cogitandum haberet ſpatii, & certius carminum incederent pedes. Adhibebat etiam citharoedum, qui hos aut illos pro carminum varietate modos faceret. Nemo enim ignorat quam poeſis animi ſenſus pervadat, ſi muſices lepore ac jucunditate condiatur, quae duae artes ſic amice conjurant, ut altera alteri quaſi mutuas operas praebeat. Quare minime eſt mirandum, ſi antiquis temporibus iidem eſſent muſici, qui poetae. Quotieſcumque vero illo ſuo furore corripiebatur, adeo in dicendo celer erat (& porro celeritas quaedam in extemporali poeſi neceſſaria eſt, ut non modo defici, ſed etiam laborare turpe exiſtimetur) ut vel ipſe citharoedus minime illum conſequi poſſet. Inter omnia Italici carminis genera ὀγδοας, quod nonnulli epicum appellant, quodque omnium eſt difficillimum, ei maxime erat in deliciis, quanquam mollioribus numeris ſaepe etiam utebatur. Omnino quot ſunt carminum genera, totidem fuiſſe videntur in poteſtate Perfectii, qui ſive

gravis, ſive tenuis, ſive temperatus eſſe vellet, ſemper cum admiratione & plauſu ſummo audiebatur; nihil habebat inſolens, nihil durum & odioſum; ſemper videbat quid deceret non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis; ſemper ei adeſſe videbantur rem ad vivum exprimentes imagines; ita vero dominus erat verborum ſimiliter deſinentium, ut haec ſequerentur quocumque torqueret. Sunt qui in rebus deſcribendis humilibus ruſticiſque ejus potiſſimum eluxiſſe praeſtantiam arbitrentur, ut vel ipſos pueros, puellulaſque atque paſtores loquentes te audiviſſe putaſſes. Quod quidem nonnullis facile videri poteſt, ſed nihil eſt experienti minus. Perpetua enim quadam ſuavitate ſit condita oratio oportet, habeatque colorem quemdam naturalem, non fucatum, ſitque, ut ita dicam, plane integra valetudine. Cum vero de rebus grandioribus dicas, ipſae res verba rapiunt; cumque feratur veluti torrens oratio, quamvis multa cujuſquemodi ſecum trahat, non tamen omnia animadvertes, & animadvertas licet, animum vix illa offendunt. Quoniam vero nihil feracius erat ingenio

Perfectii,

Perfectii, facile is poterat, ſi vellet, eamdem rem augere laudando, vituperandoque rurſus affligere. Haec ſunt, quae clamores & admirationes excitabant, quoties Perfectius verſus fundebat, ad quem audiendum undique concurrebatur, ut vel ipſa laxitudo aularum ad continendam hominum multitudinem anguſta eſſet. Sed in omni vita nihil fuit Perfectio ad laudem illuſtrius, quam dies illa, qua in Capitolio poetica corona donatus eſt. Ad Urbem ſecundo is venerat in comitatu Violantis Bavarae, quae nupta fuerat Ferdinando Mediceo, cum Pontificatum Maximum teneret Benedictus XIII. Non hic quidem intelligens & amans poeſis erat, ſed adeo multa & ſingularia de Perfectio praedicari audierat, ut dignum illum exiſtimaverit, qui laurea corona inſigniretur. Ut vero omnibus oſtenderet eximium hunc honorem velle ſe merito, minime vero gratiae tribuere, juſſit Perfectium publice periclitari vires ingenii ſui. Conſtituta dies, delecti judices, eorum obligata religio in ferenda ſententia; propoſita demum argumenta duodecim ex theologia, philoſophia, matheſi, juris prudentia,

ethica, poeſi, medicina, gymnaſtica, atque ex univerſa philologia deprompta, quibus cunctis ita ſatisfecit Perfectius, ut omnium conſenſu judicatum fuerit ceteros a Perfectio ſemper omnes, illo autem die etiam ipſum a ſe ſe fuiſſe ſuperatum. Hac pronuntiata ſententia, laeta ſpectaculo dies advenit. Equis inſignibus & curru aurato vectus Perfectius, eademque comitatus pompa, qua publice incedere ſolent Populi Romani, ut vocant, Conſervatores, ab Archigymnaſio Romano ad Capitolium aſcendit. Non ſolum Capitolium, ſed vel ipſae viae, per quas ille tranſivit, inſigni apparatu, ſummaque celebritate omnis generis hominum, aetatum, ordinum ſplendebant. Inter populi clamores in aulam Capitolinam introductus fuit; cumque ad pedes acceſſiſſet Marii Frangipanii Senatoris Urbis, ab eo his conceptis verbis laurea corona donatus fuit. *Eximium hoc poeticae laudis decus, quod tuo capiti impono ſub feliciſſimis auſpiciis D. N. Benedicti Papae XIII., Eques egregie, ſit publici non minus erga te ſtudii argumentum, quam obſequentiſſimi animi erga ampliſſimam ac plane regiam benevolentiam,*

qua decoraris. Cui Perfectius: *poetica laurus immeritae impoſita fronti excelſam Sanctiſſimi Patris atque Pontificis Papae Benedicti XIII. munificentiam, effuſamque S. P. Q. R. erga me voluntatem teſtatur; quarum utraque aut honore dignos invenit, aut facit*. Invitatus mox a Mario Creſcimbenio Arcadiae Cuſtode, ut quas Muſas conciliatrices tanti honoris habuit, easdem grati animi teſtes adhiberet, id tam felici ſucceſſu praeſtitit, audiente ipſa Violante, Cardinalibus, Regum Legatis & Romanae nobilitatis flore, ut nunquam dixiſſe melius viſus fuerit. At non tam gratiarum actionem a Perfectio deſiderabat Creſcimbenius, cum re ipſa & animo ſciret illum eſſe gratiſſimum, quam praedicationem de laudibus eorum, a quibus tantum honorem acceperat, qui ſane omnium, quibus affici poeta poteſt, ampliſſimus exiſtimatur. Nam ad eum pauciſſimis, iisque ſingulari virtute in re poetica praeditis, aditus tantummodo patuit. Datus Franciſco Petrarchae; decretus & Torquato Taſſo, qui ad vitae exitum vocatus fuit, priusquam illo ornaretur. Talis autem ac tantus honos aliis quoque honoribus cumulatus

eſt. Donatus enim Perfectius fuit jure civitatis Romanae, poteſtateque inferendi lauream coronam in gentilitium ſtemma & ad memoriam poeticarum laudum, & ad illuſtrandam magis domeſticam nobilitatem. Cuſa etiam tum Romae, tum alibi numiſmata ejusdem effigiem capite laureato ad vivum exprimentia. Romanus quoque Arcadum coetus, cui Alauri Eurotaei nomine adſcriptus Perfectius erat, a ſe extare voluit monumenta glorioſiſſimi facti. Senenſes vero, qui magnam ſe adeptos gloriam arbitrabantur ob collata civi cariſſimo ſingularia beneficia, gratias Pontifici agendas communi conſilio decreverunt, multaque alia fecerunt, quibus eoſdem illos honores, ſi qua ratione poſſent, majores redderent. Sint ſane haec magna, quae re vera magna ſunt. Quod vero in tanta celebritate famae, ut omnibus eſſet notus, in tantis hominum plauſibus, ut longe omnium non ejusdem modo aetatis, ſed etiam, qui fuiſſent, in extemporali poesi eſſe princeps, & quaſi e caelo delapſus praedicaretur, in tantis denique ornamentis & praemiis virtutis modeſtiam ſemper ſervaverit, hoc maximum re-

putari debet. Non more poetarum de ſe glorioſe praedicabat, efferentique aliquando Clementi XI. ſummis ad caelum laudibus illius praeſtantiam in poeſi, in haec verba dicitur modeſte reſpondiſſe. '*Hoc quidquid eſt, Dei munus eſt, qui ut Balaam jumentam loquentem fecit, ita me poetam facere voluit: haud multum poſſumus, Beatiſſime Pater, in iis gloriari, quae ab alio accepimus*. Quod autem Perfectius nihil ſcripti relinquendum eſſe putaverit, & pauca illa, quae extant, excepta, dum canebat, librariorum manibus, eodem quidem aut invito aut ignorante, poſtea rejecerit, & tanquam ſua minime agnoverit, hoc non tam modeſtiae, quam prudentiae tribuendum eſt. Intelligebat enim ſi oculis ſubjecta fuiſſent fidelibus, quae demiſſa per aures non ſolum perplacebant, ſed etiam admirationem excitabant, multum de laude ſua amiſſura. Nam ſubita & fortuita oratio quamvis ſcriptorum ſimilis audienti, cui multa effugiant neceſſe eſt, videri poſſit, plurimum tamen ſemper aberit a perfectione, quam nonniſi commentatio diuturna conſequi poterit. Nec minus refugiebat Perfectius a pre-

hendendo ſtilo, quod ſe putabat ſatis magnam adeptum eſſe dicendi gloriam, eamque etiam majorem viſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta minime veniſſent. Quod enim dicit Cicero uſuvenire plerumque per-ingenioſis hominibus, neque ſatis doctis, id Perfectio accidebat, ſcilicet ut cum ſedatus ad ſcribendum accederet, motus omnis animi, tanquam ventus, eum deficeret, ejusdemque vis occideret & flacceſceret oratio. Cum eximia modeſtia conjungebat Perfectius parem facilitatem, ſuavitatemque morum; quapropter ut animum cantare induceret, non neceſſe erat aut multum rogare, aut inſidiari, aut ſpeculari. Idem urbaniſſimus erat & venuſtiſſimus: vitavit tamen ſemper ſcurriles & mimicos jocos, & quidquid ingenuitatem gravitatemque vel minimum poſſet offendere. Neque opera, neque conſilio, neque fide unquam defuit amicis & civibus ſuis, pro quibus, aliisque virtutibus meritiſſimo ab omnibus non ſolum diligebatur, ſed etiam amabatur. Siquos vero habuit invidos & obtrectatores, eos & lenivit obſequio, & patientia mitigavit. Cum uxorem

duxiſſet, pluresque liberos ex ea ſuſcepiſſet, omnia mariti & patris officia diligentiſſime explevit. Verum quoniam omnis virtus manca & infirma eſt, niſi a Deo proficiſcatur, & ad eum referatur, ita Perfectio nihil fuit antiquius, quam ut dictis, multoque magis vita & moribus religionem pietatemque in Deum prae ſe ferret. Statum quotidie ſeponebat tempus, quod precibus & meditationi rerum caeleſtium tribueret. Maxime autem in Chriſti vitae mortiſque cogitatione acquieſcebat, ſatis gnarus ibi eximia omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri atque imitari licere. Singulari etiam colebat ſtudio Beatam Virginem Mariam, & ſi quis inter canendum ſibi dabatur aditus, in illius laudes libentiſſime excurrebat. Ut donatus poetica corona fuit, recta e Capitolio ad Aedem S. Mariae ad Martyres contendit, ut debitas illi gratias ageret, cui tantum honorem referebat acceptum. Juſſit etiam teſtamento eamdem coronam Virginis arae in perpetuum ſuae erga eam obſervantiae argumentum appendi. Saepe de morte, tanquam de migratione ex una in alteram domum,

quod eſt non mediocre bene actae vitae ſignum, loquebatur. Tale vero ei contigit mortis genus, quale ſuſpicabatur. Apoplexi enim perculſus exeunte Julio an. MDCCXXXXVII. paucos poſt dies vitam cum morte commutavit. Publice tota celebrante civitate, laudeſque mortui eleganti oratione praedicante Nicolao Joannellio, ſepultus fuit in avito monumento, quod eſt extra urbem in Aede S. Franciſci. Uxor vero ejus, liberi atque frater prope ſacellum B. M. V., quod eſt in Aede principe, cuique coronam lauream, ut paullo ſupra commemoravi, appendi voluit, marmoreum ſatiſque magnificum monumentum ei faciendum locarunt. Monumento vero hoc inſculptum eſt elogium.

D. O. M.

EQVITI BERNARDINO PERFETTI
PATRICIO SENENSI
ETRVSCIS EX TEMPORE CARMINIBVS
POETAE CELEBERRIMO

Digitized by Google

IN CAPITOLIO III. ID. MAII A. MDCCXXV.

LAVREATO

CORONA VIRGINI PATRONAE

EX TESTAMENTO DICATA

ANT. CAIETANVS GERMANO FRATRI

BENEMERENTI

VINCENTIVS ET IOANNES BAPTISTA

PATRI OPTIMO

ET MARIA FRANCISCA SALVANIA VIRO

CARISSIMO

MOERENTES PP.

OB. AERAE CH. A. MDCCXLVII. KAL. SEXT.

VIXIT AN. LXVI.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

BENEDICTO STAJO

S. P. D.

AN me existimas ab ullo malle mea legi probarique, quam abs te? Ego certe ſcio quam parum ingenio, doctrina, ſcribendique elegantia valeam: alacrior tamen ſum factus ad inſtitutum opus perſequendum, poſtquam cognovi me habere te & ſuasorem & probatorem induſtriae meae. In quo ſi humanitatem, magis quam ſeverum judicium tuum agnoſcere debeo, hac ſaltem re ſolabor tenuitatem meam, quod ſciam me a te plurimum amari, tuorumque in numero eſſe. Quod me admones, ut ſcribam de Alphonso Borellio, ampla quidem & bella materies est. Quis enim est qui ignoret, nemini in geometria ceterisque in mathematicis diſciplinis Borellium ſecundum fuiſſe, eique in primis referri acceptam immortalem gloriam, quam sibi merito acquisivit Florentina Academia ab experiendo dicta del Cimento? *Nec ſolum nota,*

ſed etiam plurima pene ſepulta oblivionis tenebris de illo me prolaturum confido, quae magis magisque ſingularem hominis doctrinam patefacient. Sed opus hoc in illud tempus differendum putavi, quo illustriorum quorumdam virorum, qui in Academia Piſana floruerunt, vitas explicare decrevi; quod munus me debere arbitror non magis nobilitati Academiae, quam ſummo meo in illam ſtudio. Ornatus enim ejuſdem Praefectura, quod non ſine verecundia, intimoque animi grati ſenſu erga Principem beneficentiſſimum effero, perverſe abuti otio viderer, ni quidquid poſſum, totum in illius commodum laudemque conferrem. Interea dum colligo & contexo, quae ſpectant ad Borellium, habebis vitam alterius mathematici, Laurentii ſcilicet Lorenzinii, qui doctrina in geometricis rebus aequare ſe Borellio potuit, ut illi ſe aequavit acerbiſſima, quam pertulit, fortuna. Sed fortuna fortaſſe in Borellio certavit cum perverſa natura, ut difficile ſit judicare, utrum is aſperior, novarumque rerum cupidior, an infelicior fuerit: quare fecit, ut vere dictum videatur: ſui cuique mores fingunt fortunam. *Verum quae ſubiit mala Lorenzinius, non perverſitati, ſed*

imprudentiae, aut fortaſſe neceſſitati aſſignari debent; ex quo fit, ut magis doleamus hominis ſpectatiſſimi vicem, quae non tam illi, quam mathematicis diſciplinis fatalis fuit. Nam si libera, tranquilla ac quieta vita ei frui contigiſſet, plurimis certe utiliſſimiſque inventis easdem diſciplinas pro admirando ſuo ingenii acumine locupletaſſet. Tu modo fac, optime Stai, quod ſane erit humanitatis tuae, ut pauca illa, quae de Lorenzinio ſcripſi, emendentur abs te, qui omnium judicio es hominum in mathematicis & philoſophicis rebus doctorum elegantiſſimus, & elegantium doctiſſimus. Quod quidem plura demonstrant a te in lucem emiſſa, ſed praeſertim quae de Cartesiana & Recentiorum philoſophia carminibus Latinis expoſuisti. Res enim difficillimas atque reconditiſſimas, de quibus ceteri tenui quodam exanguique ſermone diſputant, tu omni gravitate & jucunditate explicasti: & si laudi Arato datur, quod ornatiſſimis optimiſque versibus de caelo ſtellisque dixerit, Lucretio, quod totam Epicuri philoſophiam elegantiſſime expoſuerit, tu multo magis ſuſpiciendus es, qui res vel in media mathesi retruſas atque abditas ornasti dicendo. Illud miror, te rei difficultate,

hominumque quorumdam doctorum judicio, qui vetant Muſas ad ſeveritatem hujusmodi argumentorum traducere, minime deterritum fuiſse. Sed quo difficilius, hoc praeclarius; & propter rerum utilitatem, & propter delectationem jucunditatemque, quae ex poeſi capitur, tua leguntur non in Italia ſolum, ſed in Britannia, Batavia ceteriſque cultioribus nationibus, quibus fato miſero funeſtoque Latina lingua, Latinaeque Muſae minime ſordeſcunt. Vale, & quid de Lorenzinii vita ſentias, ad me perſcribe diligentiſſime; neque enim ſum tam ſapiens, ut nihil mea interſit, an iis, quae honeſte feciſſe me credo, teſtificatio quaedam & quasi praemium accedat. Iterum vale.

Romae Id. Sextilis MDCCLXX.

Laurentius Lorenzinius.

Laurentius Lorenzinius Florentiae natus eſt III. non. Quintiles an. MDCLII. veteri & honeſta familia, quae e Monte Caroli illuſtri Etruriae oppido oriunda in Florentinam civitatem jamdiu ſuſcepta fuerat. Laurentii pater Antonius Franciſcus in mediocribus quidem juris conſultis, ſed in optimis patribusfamilias habitus eſt; mater vero Maria Leonellia, ſoror Leopoldi Leonellii e S. J. inſignis theologi, ipſa quoque fuit & probatiſſima & diligentiſſima femina. Parentum cura Laurentius bene & honeſte in bonis diſciplinis educatus fuit per omnem pueritiam, ex qua ut exceſſit, ductus eſt ad Vincentium Vivianium. Vidit ſtatim indolem Vivianius, neque tempus dimiſit, adoleſcentulumque eſt cohortatus, ut mathematicum pulverem haberet, quaſi campum, in quo ſe exerceret. Id ſe facturum Laurentius confirmavit, neque eſt credibile quantum & quam brevi, & Vivianio & natura duce, in geometria proceſſerit. Quantum autem Vivia-

nius illum admiraretur & diligeret, ex iis, quae ſcripſit in praefatione libri, cui titulus, *Enodatio problematum propoſitorum a Claudio Comiers* *, intelligi poteſt. Erat non tam ſanguine, quam induſtria & in litteras amore Laurentio conjunctus ejus frater natu minor Stephanus Lorenzinius. Sed hic praeſertim ferebatur in medicinam & anatomen, ſine qua medicina eſſe non poteſt. In illa facultate praeceptorem habuit Redium, in hac

* Haec Vivianius. *Aliquot ab hinc menſibus vulgata jam erant appendicis loco ad quemdam libellum, cui titulum poſueram,* Diporto Geometrico, *tentamenta varia per modos lineares, aut ſi ita appellare libeat, mechanicos ad angulum data ratione ſecandum, cum ecce ſpectatae probitatis, acerrimique ingenii vir Laurentius Lorenzini ad geometricas plane factus meditationes quodam die ad me cum veniſſet, ac familiariter de rebus ad matheſin ſpectantibus, ut inter nos ſolet, colloqueretur, certiorem me faciens de cujuſdam problematis propoſitione, quam recens in Pariſina (ut vocant) ephemeride Litteratorum inter legendum obſervaverat, ac pro qua ſolvenda neceſſaria, ut eſt, ei videbatur anguli triſectio, occaſionem mihi praebuit una ſimul & hoc Gallicum problema ſolvendi*. Alia retulit Vivianius Lorenzinio honorificentiſſima, quae omittenda putamus.

Stenonem & Fynchium, qui cum ſaepe convenirent in Florentinum noſocomium ad S. Mariae Novae, ut ibi anatomicas obſervationes ſecreto haberent, harum non niſi Stephanum participem faciebant, ejuſque opera in incidendis cadaveribus utebantur. Sed quam ſolers & acutus eſſet Stephanus naturae inveſtigator, ex ejus libro cognoſci poteſt, quem inſcripſit: *Oſſervazioni intorno alle Torpedini*, quemque an. MDCLXXVIII. in vulgus edidit. Scio fuiſſe pleroſque, qui dictionis elegantiam, qua liber hic conſcriptus eſt, Redio tribuendam eſſe putarunt. Sed de hac re nunc minime quaero. Quod unice contendo illud eſt, Stephanum fuiſſe virum excellenti doctrina, huncque ſocium fuiſſe Laurentio ad domeſticam gloriam acquirendam. Neque ſolum gloriae ſenſus, qui in ipſa natura poſitus & infixus eſt, ad praeclara ſuſcipienda utrumque inflammabat, ſed etiam ſpes praemiorum, quae ſibi pollicebantur a Ferdinando Mediceo Coſmi III. filio, cujus in famulatu erant, & a quo plurimum diligebantur. Sed incidit caſus (periculoſa enim ac lubrica eſt Aula) qui eos praecipites egit, & in

in capitis uſque diſcrimen adduxit. Divortium fecerat Coſmus cum Margarita Aloyſia Borbonica Aurelianenſis Ducis filia, eaque, cum in Galliam rediiſſet, carebat aegrius Etruria, principatu & liberis. Vicem ſuam, credo, ut ulciſceretur impotens, iracunda contumelioſaque femina, alienare a patre tentavit Ferdinandum, magnas honorificentiſſimaſque ei ſpes offerens, ſi in Galliam demigraſſet. Litterae autem, quae haec continebant, ne aut interciperentur, aut aperirentur, inſcribebantur alterutri fratrum Lorenziniorum, a quibus illas Ferdinandus accipiebat. Reſcivit haec omnia Coſmus; excandenſque ira in Lorenzinios, hos comprehenſos XV. Kal. Aprilis an. MDCLXXXI. media ferme nocte, dum ab Aula domum redirent, juſſit in Volaterrarum arcem deduci, & in altiſſimam turrim ſeparatim detrudi. Ut levaret carceris aegritudinem Laurentius, libros mathematicos popoſcit, conceſſoſque, cum in manus perveniſſent hominis, qui arci praeerat, ut vidit multitudinem linearum, judicavit ſtatim magicos eſſe libros, & magiae deditum eſſe Laurentium. Pertimeſcens ergo

fraudem & malum ab hujuſmodi libris, & ab hujusmodi arte, ſevere Laurentium increpavit, eique omnem librorum uſum interdixit. Quae res ut tum auxit illius calamitatem, ita poſtea valuit ad ejusdem gloriam amplificandam. Nam cum ſe totum contemplationi & ſcriptioni rerum mathematicarum dedidiſſet, verens ne, quae didicerat, memoria exciderent, duodecim compoſuit libros, quibus ſectionum conicarum & cylindricarum, earumque ſolidorum doctrinam tanta ſubtilitate, tamque felici & generali methodo complexus eſt, ut Scriptores Actorum Lipſienſium, & Chriſtianus Wolfius vere de iis praedicaverint vel ipſa Apollonii & Vivianii inventa ſuperaſſe *. Quale autem

* Vide Acta Erudit. an. 1723. Wolfius vero in Tom. V. de praecipuis Script. mathematicis c. 3. §. 22. haec habet de Lorenzinio. *Cum viginti annos in vinculis duro fato detineretur ab omni commercio cum hominibus litteratis remotus, nullius libri uſu conceſſo, methodum iſtam* (ideſt antiquorum) *excoluit, & XII. libros de ſectionibus conicis & cylindricis, earumque ſolidis conſcripſit, ultra Apollonii & Vivianii inventa progreſſus.*

ipſe de ſuis hiſce ſcriptis judicium fecerit, indicat epiſtola, quam ad Stephanum & Joannem Baptiſtam fratres ſuos cariſſimos ſcripſit, ut opus hoc ſuum illis commendaret, cujusque nos infra ſubjiciemus exemplum *. In his libris undecim conſumpſit annos, poſt

* *Lorenzo Lorenzini a Stefano e a Gio. Battiſta ſuoi amatiſſimi fratelli Salute.*

Queſto trattato geometrico, che troverete diſtinto in dodici libri, fu da me compilato nel tempo, ch' io dimorava nella Fortezza di Volterra, e mi riuſcì di condurlo a quel ſegno, che egli è, ſenza comodità di libri, come voi ben ſapete, il che mi dà motivo di riguardarlo con qualche affetto, e di raccomandarvelo con qualche premura, acciò procuriate che non vada a male, e non trovi per avventura qualcuno, che ſe lo addotti per proprio figlio; ma che almeno rimanga in mano di perſona di tutta integrità, poichè ſebbene può eſſere, che vi ſieno coſe ſpeculate da altri, tuttavolta non sò ſe niuno le abbia trattate in queſta guiſa, che è riuſcito a me nelle ſopraddette congiunture. Io ſo che in oggi ſi battano altre ſtrade nelle ſpeculazioni geometriche, e conſeguentemente poſſono riuſcire non molto gradite le vie da me preſe, ma non è per queſto che non ſe ne ricavi molta utilità. So ancora che vi poſſono eſsere degli errori commeſſi nel traſcrivere; ma mi dò a credere, che non saranno tali, che non poſſino eſſere ammendati da chiſiſia verſato in ſomiglianti ſpeculazioni; e in ſomma me-

quod tempus neſcio qua in re calamitoſum otium contriverit. Ex litteris quidem illius ad Guidonem Grandium conjicere potui quamdam ſocietatem inter eos fuiſſe ſtudiorum mathematicorum, cum de ſuis aliorumque inventis inter ſe ſe multa communicarent. Revocatus tandem viginti ſex poſt annos ad vitae, ut ita dicam, uſuram fuit Lorenzinius; & ad mitigandum durum Coſmi III. animum valuit mors Julii fratris, matris luctus ac miſera orbitas, & fama, quae de illius ingenio, Grandio maxime praedicatore ac teſte, percrebuerat. Cum igitur rediiſſet in patriam ineunte an. MDCCVII. impenſius coluit priſtina ſtudia ſua, quamvis ophthalmia aliiſque valetudinis incommodis ſaepe afflictaretur. Maxime vero dolebat ſerius ſe aſpexiſſe immenſam lucem, quam Leibnitius, Newtonus, Bernoullii fratres aliique, invento

rito qualche compatimento per aver tutto fatto con i proprj ſudori. Duodecim hi libri cum ceteris Lorenzinii ſcriptis aſſervantur Florentiae in Maliabechiana bibliotheca.

jam calculo differentiali & integrali, in geometriā non ſolum, ſed & univerſam matheſin ſparſerunt, ut novam ſcientiam effecerint. Non dubitabat enim, quin, ſi illorum inventa, antequam in illam aerumnam incidiſſet, prodiiſſent, acerrimo ſuo ingenio multa iis addere potuiſſet, quae occupatam ab aliis gloriam antevertiſſent. Qua de re cum ſaepe quereretur cum Guidone Grandio, pene deſperare videbatur ſe ad aliquam laudem poſſe amplius pervenire *. Sed quo difficilior erat ejus inſtituta ratio ſyntheſin provehendi, hoc praeclarior. Provexit autem eo, quo illa vix

* In quadam epiſtola ad Grandium carpere videtur Vivianium, quod methodos analyticas appellaret *arzigogoli*. Sic enim ſcribit. *E perchè in occaſione d'andare ſtudiando i ſuoi arzigogoli (giacchè eſſi così ſi chiamano da chi non ne conoſce il dolce) mi è venuto fatto ravviſarne uno, benchè a me ſiano incogniti i metodi algebraici, atteſo che io ſia venuto in queſto luogo colla ſola notizia dei puri elementi della geometria, e e così ſiami convenuto mantenermi per la privazione de' libri, come altre volte le ho detto, e ſtudiar ſempre a mente*. Epiſt. dat. Volater. X. Kal. Quint. an. 1703.

Digitized by Google

pervenire poſſe videbatur. Huic rei praeter libros, quos ſupra commemoravi, argumento eſſe poſſunt Exercitationes ſex geometricae ab eo relictae, quibus ita perſcrutatur & inveſtigat dimenſionem, deſcriptionem, proprietates omnium conicarum ſectionum, ſicque agit de infinitis parabolis, hyperbolis, logiſticis, ciſſoidibus, ſpiralibus, ellipſoidibus, hyperboloidibus, aliiſque hujus generis rebus ad ſublimiores curvas ſuperficieſque ac ſolida ab iis genita ſpectantibus, ut multa ab aliis nondum excogitata protulerit, multoque plura nova ſubtiliorique methodo expoſuerit. Quare minime eſt mirandum ſi Grandius in libro *de Infinitis infinitorum & infinite parvorum ordinibus* eo loci, quo de logaritmis quadratis agit, plurimum ſe optare dixerit, ut *inſignis Geometra Laurentius Lorenzini, qui de iisdem logaritmis quadratis egregium tractatum conſcripſit, cum aliis tractatibus res geometricas accuratiſſime & profundiſſime illuſtrantibus typis aliquando committeret*. Grandii aliorumque votis ut ſatisfaceret Laurentius, ad opus ſe admovit: ſed, nondum abſoluta impreſſione prioris Exercitationis, ille

ceſſit e vita. Adfuit tamen Joannes Bottarius, qui ſe debere hoc munus ſtudioſis geometriae, & ſingulari ſuae in Lorenzinium amicitiae putavit, ut de eadem impreſſione non ſolum perficienda, ſed etiam adornanda tum eleganti praefatione, tum Latina epiſtola acutiſſimi geometrae Caeleſtini Rollii e Caeleſtinorum familia ſollicitus eſſet. Complectitur autem haec Exercitatio, ut de ea nonnulla ſingillatim dicamus, ſectionum conicarum ac ſolidorum ab ipſis circa axes ſuos revolutis genitorum dimenſiones; unica enunciatione indicat centrum gravitatis cujuſcumque corporis a qualibet ſectione conica vel cylindrica circa ſuum axem revoluta geniti, fruſtique cujuslibet ab ipſo reſecti; demonſtratque demum una & altera enunciatione, quam rationem habent eadem corpora cum cylindris circumſcriptis, quamque habent inter ſe momenta eorumdem corporum centro appenſorum in ipſo axe, cujus fulcrum ſit in alterutra ejus extremitate. Ex hac prima Exercitatione de praeſtantia ceterarum, quae minime in apertum prodiere, quamvis rerum pondere & inventione illam antecellant, con-

jectura fieri poterit, non ſecus ac Pythagoras ex planta pedis Herculis magnitudinem vere conjecit. Qui vero omnes legat, facile judicabit geometriam linearem analyticae vel in reconditiſſimis inveniendis rebus nihil aut parum admodum concedere. Atque hoc in primis fuit admirabile in Lorenzinio, quod per syntesin pervenire potuerit ad ſolutionem cujusdam problematis, quo ope analyſis niſi per aequationem quinque dimenſionum perveniri minime poteſt. Problema autem erat hujuſmodi: invenire conoides parabolicum, quod minimam omnium habeat ſuperficiem eorum, quae eidem ſphaerae, & ad eumdem cum ipſa axem circumſcribi poſſunt, planoque ipſam ſphaeram ad imum ſui punctum contigente terminantur. Quod ſi in hoc praeſertim gloriabatur Archimedes geometrarum omnium facile princeps, quod ſphaerae ſuperficiem quadruplam eſſe circuli ejus maximi compererit, ut eam in ſummo ſui ipſius ſepulcro, ſicuti Tuſculanarum V. teſtatur Cicero, cum quibusdam ſenariolis, qui hoc declararent, poni curaverit, magis eſt quod glorietur Lorenzinius, qui non alia, quam

Archimedes, uſus inveſtigandi ratione vel minimam ſuperficiem conoidis parabolici dimenſus eſt, quod profecto Archimedea ſphaericae ſuperficiei dimenſione longe eſt difficilius, longeque abſtruſius. Solutionem hujus problematis retulit ille in adverſaria, in quae conjecit etiam multa pertinentia ad eas lineas, quas Carteſius geometricas, Leibnitius algebraicas appellat, quarum nonnullas ex ſectione ſolidorum ingenioſe deduxerat. Sed haec, antequam e vita decederet, in ignem conjecit, quod nolebat quidquam extare, quod in ſuo genere minime perfectum eſſet. Quanquam autem Lorenzinius synteſin unice excolere voluiſſe videretur, non tamen analyſin contempſit; laudabatque illorum induſtriam, qui in geometricis problematibus ſequerentur & hoc perutile inveniendi, & illud acutum demonſtrandi genus. Analyſis vero ſtudium quoniam ſenior arripuerat, idem quod Catonem ſe feciſſe dicebat, qui Graecas litteras in ſenectute didicit, quod non videbantur ſine dedecore illa ignorari poſſe, quae omnes in pretio habebant. Hactenus de ſtudiis & doctrina Lorenzinii: nunc de moribus ejus

nonnulla proferemus, ex quibus non minus virtutibus, quam doctrina ipſum fuiſſe admirandum apparebit. Summa fuit in ejus victu temperantia, cujus exemplum a communi parente natura nos petere debere dicebat, cum quotidie ab ea doceamur quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus. Solitudinis amans ſemper averſatus eſt oblectamenta illa, quae vulgus hominum ſequitur. Illi vivere erat cogitare atque elaborare in iis litteris, quibus ducimur ad veritatem cognoſcendam. Non acerbus, non litigioſus, non acer, nullique diſciplinae addictus libabat ex omnibus quodcumque ſpecie veritatis illum moveret. In omni re moderatus, ſapiens, conſtans & fortis ſemper obedivit veteri illi praecepto:

Neque enim laetabitur unquam, neque moerebit nimis,
Quod ſemper in ſe ipſo omnem ſpem reponet ſui.

Sic cum ſua, non Stoico, ſed Chriſtiano more, ſe ſuſtentaret virtute, nulla unquam perverſa fortuna labefactari potuit illius con-

ſtantia, ſemperque in ejus animo fuit placidiſſima pax. Nemini adoleſcentium mathematicarum rerum ſtudioſorum domum ſuam clauſit, facile ut appareret nihil magis illum velle, quam praeſtantem ſuam doctrinam in communem utilitatem conferre. Qui vero cum eo verſabantur, nunquam ſatis laudare poterant conditam comitate gravitatem; nec ſenectus mores mutaverat. Quamvis gloriae ſtimulum, ut ſunt a natura omnia praeclara ingenia comparata, ſentiret, non is tamen erat, ut ſua efferret, quin immo de iis ſemper modeſtiſſime loquebatur. Laborioſus, juſtus, integer & religioſus nil concupiſcere & ſequi praeter ſapientiam videbatur. Ita

Ille vir haud magna cum re, ſed plenus fidei

diem obiit ſupremum VII. Kalend. Majas MDCCXXI. Sepultus eſt in Florentino templo S. Michaelis ad Antinorios. Monumento autem haec leguntur inſcripta.

Digitized by Google

D. O. M.

IVLIO BENEDICTO J. C.
ET LAVRENTIO
ANTONII FRANCISCI J. C. PIISSIMI VIRI
FILIIS LORENZINIIS
QVORVM ILLE
ELEGANTIORVM LITERARVM AMATOR
ET FAVTOR
HIC
VINCENTII VIVIANI DISCIPVLVS
IN GEOMETRICIS TOTA VITA SE
EXERCVIT
VT NON PAVCA RELICTA AB EO
HVJVS GENERIS SCRIPTA TESTANTVR
STEPHANVS LORENZINIVS
OPTIMIS FRATRIBVS
ET DE SE BENE MERITIS
MONVMENTVM HOC A. S. CIↃIↃCCXXI.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Exercitatio geometrica, in qua agitur de dimenſione omnium conicarum ſectionum, curvae parabolicae, curvaeque ſuperficiei conoidis parabolici, & praecipue unica enunciatione indicatur centrum gravitatis tam cylindri quam ſolidi circa axem cujuslibet ex praedictis ſectionibus geniti a ſegmento exiſtente inter duas ordinatas; & unica itidem enunciatione habetur relatio ipſius ſolidi ad cylindrum; & unica itidem enunciatione declaratur quam proportionem habeant inter ſe momenta hujuſmodi ſolidorum centraliter appenſorum in ipſo axe, cujus fulcrum ſit in alterutra ejus extremitate; auctore Laurentio Lorenzinio Vincentii Viviani diſcipulo. Florentiae 1721. typis Regiae Celſitudinis apud Cajetanum Tartinium & Sanctem Franchinm in 4.

OPERA INEDITA

De Sectionibus conicis & cylindricis & earumdem ſolidis Libri XII.

Exercitationes V. geometricae quarum I. agit de infinitis parabolis, hyperbolis, & logiſticis.

---- II de elipſoidibus & hyperboloidibus;

---- III. de ciſſioidibus;

---- IV. de proprietatibus variarum arearum, earumque deſcriptione.

---- V. de parabolis, logiſticis, ſpiralibus, earumque deſcriptione.

Solutiones variorum problematum ac lematum ad ſectionum conicarum proprietates ſpectantium.

Haec omnia quatuor voluminibus continentur, quae Joannes Baptiſta Lorenzinius Laurentii frater Magliabechianae Bibliothecae dono dedit an. MDCCXXXII. V. Kalen. Septemb. Extat in Bibliotheca Academiae Piſanae, ad quam Grandii ſcripta & libri pervenere Leopoldi Auſtriaci Magni Etruriae Ducis beneficentia, volumen epiſtolarum de rebus geometricis, quas Lorenzinius ad Grandium ipſum dedit.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS.

ANGELO GATTIO

S. P. D.

AMo verecundiam tuam, vel potius libertatem loquendi. Quamvis enim medicinam exerceas, & per eam ad fortunas, honores, magnamque gloriam perveneris, non tamen multa de tuis opibus audes hominibus polliceri, irridesque eos, qui omnes ſpes ſuas in omnium fallaciſſima arte collocare non dubitant. Quod ego non ſoleo mirari, cum te alumnum fuiſſe recordor diſciplinae Antonii Cocchii, qui arti ſuae nolens aſſentari parce adeo de ejus laudibus dicebat, ut ipſam potius obterere, quam efferre velle videretur. Sic ſe gerendo vir prudentia ſumma perſuadere volebat hominibus, omnia fere incerta & obſcura eſſe in medicina; quae remedia putantur, ſaepe ea aut nulla eſſe, aut malorum incrementa; nihilque praeſtare debere medicum niſi artificium quoddam ex plurimis diuturniſque obſervationibus experimentiſque natum.

Profecto ſi memoria vetera repetamus, facile intelligemus Empiricam medicinam ab Aſſyriis, Babyloniis & Chaldaeis primo excultam fuiſſe, ab Aegyptiis hereditaria quaſi religione ſervatam, eamque Graecos tandem veluti per manus traditam accepiſſe; ipſeque Hippocrates id unice egiſſe videtur, ut ſuas aliorumque obſervationes in ordinem redigeret, exemplis confirmaret, ex iis leges educeret, & omnia orationis elegantia illuſtraret. Veluti novellae arbores ſterili loco natae, ſi in ſolum foecundius transferantur, fructus afferunt uberiores, ſic in Graecia omnes liberales artes felicitate ingeniorum & linguae, quae non modo apte, ſed ornate & diſtincte animi ſenſa exprimere poſſet, magis factae ſunt fructuoſae. Manſit praeclara haec medicinae faciendae ratio ad Galeni uſque tempora, quibus, ipſo praeeunte Galeno, coepere homines non naturam amplius & experientiam, ſed rationem propriumque ſinguli ingenium ſequi: & quibus itineribus ad veram ſinceramque medicinam pervenire ſe poſſe arbitrati ſunt, ab ea longiſſime declinarunt. Tum enim ab innocua ſimplicitate diſceſſum, & paullatim in medium adducta innumera pharmacorum genera; referta omnia hypothesi-

Digitized by Google

pothesibus, myſteriis, anilibuſque superstitionibus; vocata etiam in ſubsidium delirantium chimicorum ſomnia; nova excogitata novarum rerum vocabula; & conquisitis undique vitiis foede adeo deformata medicina, ut vix amplius ulla imago illius haberetur. Ex ſuperiorum temporum caligine & tenebris lucem illa coepit reſpicere, quando mathematici, qui ſuo jure quodammodo sibi vindicare poſſe putabant naturae cognitionem, cum ipſa divitias ſuas communicarunt; ſed illorum tanta fuit diſſensio tamque diſcrepantes ſententiae, ut ſapientes viri fere deſperandum de medicina putaverint, nisi illius ſtudiosi ad naturae contemplationem redirent. Tum Redius maxime coepit inclamare, opinionum commenta delere diem, naturae judicia confirmare, neque haec diuturnitate extabeſcere; itaque illum extitiſſe & fore perfectum medicum, qui variam multiplicemque morborum naturam uſu noverit, eventus notaverit, effectuum similitudines acri judicio expenderit, dubia a certis diſcreverit, illa iteratis experimentis illuſtraverit, haec confirmaverit; qui e ſcholis neque loquacitatem, neque cantilenam quamdam Graecarum vocum attulerit, ſed cognitionem illarum rerum, quae a ceteris

diutina experientia ſuerunt obſervatae, qui exeogitaverit diligenter, caute egerit, & in omni re prudentiam ſummam adhibuerit. Fuerunt quidem in Etruria temporibus Redii nonnulli, qui ab eo fortaſſe docti perquam anguſtis finibus ſcientiam medicinae contineri, in eam potius partem peccarunt, quae eſt cautior; inter quos minime ſilentio praetereundus eſt vir doctus ſapienſque Magiottus, qui cum ad aegrotos medicus accederet, & nunquam aut perquam raro de narthecio promi juberet medicamenta, reprehenſus eſt a Ferdinando II. Magno Etruriae Duce, quod religioni minime haberet mercedem medici ab iis exigere, quibus medicinam minime faciebat: cui Magiottus ſe hoc nomine mercedem exigere reſpondit, quod, ſe ſtante & manente in aegroti vigilia, impediret ne ad eum occiſor medicus adduceretur. Ipſe vero Redius, quo certe nemo major medicus, nemo cautior, nemo magis medicinae diffidens fuit, ridere ſolitus erat, cum narraret ſe convaluiſſe aliquando ex vehementi quodam ſtomachi morbo, poſtquam ficis ſe repleſſet. Cumque plurimi ei gratularentur, quod medicinam ſaluberrimis inventis locupletaſſet, hanc unice laudem ſibi tribuendam eſſe dicebat, quod

homines docuerit, ne verba ſibi dari facile paterentur, & ne libenter ſe credulos praeberent liberalibus medicamentorum venditoribus. Nolim quiſquam ſuſpicetur haec a me idcirco prolata eſſe, quia exiſtimem artem nullam medicinam eſſe, & omnes qui illam exercent diſcere, *ut ait Plinius*, periculis noſtris & per experimenta mortes agere, *hincque in pleroſque mortuorum convenire illam infelicis monumenti inſcriptionem*, turba ſe medicorum periſſe *. *Tui tuique ſimilium tantum laudare volui diſciplinam, & doctiſſimorum hominum auctoritate continere temeritatem & audaciam illorum, qui incerta pro certis, obſcura pro perſpicuis habentes nemini non valetudinem promittunt. Quoniam vero ut haec ſcriberem me admonuit vita praeceptoris tui Antonii Cocchii, quam idcirco ad te cum his litteris mitto, ut ſuggeras ſi quid memoria dignum praeterivi, jure quidem abs te reprehenderer, si dum verba facere volui de bonis & malis medicis, ſaltem commemorare praetermiſiſſem praeclarum Platonis locum, quo Coc-*

Y 2

* Plin. in Praef. lib. 29.

chius uti ſolebat, ut quiſque medicorum in eo ſuam agnoſceret imaginem, utque cohortaretur, & exacueret diſcipulos ſuos ad eliciendam, ut ita dicam, naturae vocem in medicina facienda. Dignus quidem eſt Platonis locus qui non ſolum commemoretur, ſed totus etiam Marſilii Ficini verbis proferatur *. *Quosdam medicos eſſe dici-*
,, *mus, & quosdam medicorum miniſtros, quos*
,, *etiam medicos appellamus. Sive nimirum li-*
,, *beri sint, ſeu ſervi, qui dominorum juſſu,*
,, *conſideratione, uſu, & experientia artem poſ-*
,, *ſideant, non autem ſecundum naturam ſicuti*
,, *liberi, qui et ipsi ſic didicerunt, & ſuos fi-*
,, *lios inſtruunt: duo haec ponere medicorum ge-*
,, *nera poſſumus. Cum autem & ſervi & liberi*
,, *in civitate aegrotent, ſervi a ſervis plerum-*
,, *que curantur, qui & in medicorum officinis*
,, *verſantur, & omnia circuunt, nec rationem ul-*
,, *lam de ſingulis ſervorum morbis aut reddunt,*
,, *aut accipiunt, ſed quae uſu prodeſſe viden-*
,, *tur quaſi exacte ſcientes, tyrannorum inſtar*
,, *ſuperbe & pertinaciter imperant, atque ita a*
,, *ſervo ad ſervum medentes tranſvolant. In quo*

* Plat. lib. 4. de leg.

„ ſane ad curandos aegrotantes domino facilita„ tem parant. Liber autem medicus liberorum „ ut plurimum morbos curat atque conſiderat, „ ita ut a principio morbi naturam perquirat, „ communiterque cum aegrotante atque ejus ami„ cis verſetur, tum diſcendo ab illis nonnihil, „ tum quoad fieri poteſt docendo; nec ante im„ perat quidquam quam perſuaſerit, atque ita „ perſuadendo ſemper manſuete ad ſanitatem „ perducere aegrotantes conatur „. Sed haec hactenus. Cura ut valeas, & ut ſciam quando cogites Lutetiam Pariſiorum. Etiam atque etiam vale, meque mutuo dilige. Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non reſpondere in amore iis, a quibus provocere.

Piſis Kal. Junii MDCCLXXII.

Digitized by Google

Antonius Cocchius

Antonius Cocchius filius Hyacinthi Mucellani. Erat hic Beneventi procurator nobiliſſimi viri Caroli Rinuccinii Florentini, eratque cum uxore ſua optima femina Beatrice Blanchia, quando haec III. non. Sext. an. MDCXCV. Antonium in lucem edidit. Cum primum per aetatem licuit, tam vehementer Antonius amplexus eſt Florentiae humanitatis ſtudia, ut illius praeceptores Joannes Joſephus Cremona & Ferrantes Moneglia inter Scholarum Piarum illuſtres homines non ii quidem poſtremi ex eo ſumerent exempla induſtriae & diligentiae ad ceteros diſcipulos excitandos. Profecto nemo negabit haec ſtudia in pueritia tanquam in herbis ſignificare quae doctrinae maturitas, & quantae laborum fruges ſint futurae; ad quas uberrimas percipiendas Antonius poſtquam exceſſit ex ephoebis, Piſas ſe contulit. Hic medicinam, & quae cum ea arctiſſime conjunctae ſunt, rem herbariam, mathematicas & philoſophicas diſciplinas ſibi tanquam campum elegit, quem

praeſertim excoleret; excoluit autem ſic ſub disciplina Guidonis Grandii, & Antonii Dominici Gottii, qui e ſchola Laurentii Bellinii prodierat, ut cum an. MDCCXVI. inſignia doctrinae accepiſſet, judicatus fuerit poſſe nobiliorum medicorum gloriam aequare. Poſt id tempus Florentiae dedit operam Thomae Puccinio illuſtri Franciſci Redii diſcipulo, cujus hominis continua conſuetudine & praeceptis, in eo praeſertim quod ad tractandam medicinam pertinebat, ſibi quotidie magis fieri videbatur doctior. Cumque eum abſorbuiſſet aeſtus quidam gloriae, non ſolum ad uſum, ſed etiam ad ornamentum illius artis, cui ſe totum dediderat, voluit ſibi comparare perfectam cognitionem linguarum Graecae, Latinae, Gallicae, & Anglicae; didicit Hiſpanicam & Germanicam, poſteaque exemplo Franciſci Redii attigit quoque Hebraicam & Arabicam, qua lingua multos ſane utiles medicos libros conſcriptos fuiſſe ſcimus. His ſubſidiis inſtructus Cocchius poterat jam cum ſpe certa famae artem ſuam exercere Sed hoc fuit non mediocris aut modeſtiae aut prudentiae, quod antequam

majoribus theatris doctrinam ſuam proponeret, in obſcuro aliquo loco illius periculum facere voluit. In annum igitur verſatus eſt in Portu Longone, medicinam cohortibus illis faciens, quae ab Hiſpaniarum Rege ibi in praeſidiis erant collocatae. Inde decedens cum Florentiam rediiſſet, ad amicitiam acceſſit multorum Britannorum, qui tum in illa urbe frequentiſſimi eſſe ſolebant. Sed praeſertim illius humanitate & doctrina captus fuit Theophilus Haſtingus Comes Huntingdoniae, qua ex re factum eſt, ut nunquam eum ab ſe dimitteret, cuperetque ſecum in Britanniam deducere. Ceſſit Cocchius deſiderio ampliſſimi viri, a quo non pauca jam acceperat beneficia; ſicque opportuna illi oblata fuit occaſio ad viſendam non Britanniam ſolum, ſed & Galliam & Bataviam; noſcendoſque viros ſummos Newtonum, Meadium, Clarchium, Vernejum, Freindium, Ruiſchium & Boerhaavium. At Londini amplius triennium manſit, cum fuiſſet ibi & liberaliter & honorifice tractatus. Vivebat familiariter cum multis claris genere, virtute & ſapientia hominibus, non ſolum quod

magna erat opinio de illius doctrina, ſed etiam quod ita didiciſſet eorum imitari conſuetudinem, & lingua ipſorum loqui, ut in Britannia natus videretur. Cum Haſtingo vero, quem omnis ingenuo homine digna eruditio exornabat (non enim illi nobilitas & divitiae, ut plerifque ſolent, deſidiae cauſſa fuerunt, ſed alacritatis ad praemia virtutis aſſequenda) habebat etiam ſocietatem ſtudiorum, legebatque ei ſaepe Homerum, Virgilium, Horatium & Dantem, quibus homo ille in primis delectabatur. Magnis Haſtingi beneficiis ornatus Cocchius voluit gratus erga eum cognoſci. Itaque illi dicavit, quam per illa tempora fecerat, *Xenophontis Epheſii de Amoribus Anthiae & Abrocomae* Latinam e Graeco interpretationem, quae cum nitide ſplendideque typis Londinenſibus impreſſa fuiſſet, ad vetera Haſtingi merita in Cocchium novorum attulit occaſionem. Dignum porro hoc opus fuit & liberalitate Haſtingi & laboribus Cocchii, quod ita probabatur Politiano & Salvinio, ut ille Xenophonti Attico iſtum Epheſium exaequaret, hic in patrium ſermonem eleganter verterit, & ex an-

tiquo codice, qui eſt in Florentina bibliotheca Monachorum Caſinenſium, exemplum pene totum ſua manu exſcripſerit. Cocchius hujus exempli ope ſibi commodati ab Henrico Davenantio illuſtri viro Britanno, cui Salvinius illud ipſum conceſſerat, ſuam elaboravit interpretationem, quae ita pura eſt, ita elegans, ita feſtiva, itaque recte exprimens Graeci ſcriptoris ſenſus, ut ſupra nihil poſſit. Sic Cocchius jure gloriari potuit aeternum poſteris reliquiſſe monumentum ſtudii ſui in Graecas Latinaſque litteras, quas ita ſemper amavit, ut ad eas ſe referre mos illi eſſet, quoties oblectationem quaereret animi, requiemque medicorum ſtudiorum. Atque his ſtudiis ne aliquod detrimentum afferret illa peregrinatio, fecit uſus cum doctiſſimis medicis & philoſophis, & continua lectio Scriptorum medicarum rerum, quos plurimos atque excellentes, ut in aliis facultatibus, tulit Britannia. De his ſuis ſtudiis atque exercitationibus, & ſi quid aliud erat, quod ſcitu dignum putaret Cocchius, ſaepe certiorem faciebat ſuum amantiſſimum praeceptorem Thomam Puccinium, ad quem etiam mi-

ſit ſane longam & prudentiae plenam epiſtolam de more & inſtituto, quod nobiles Britanni tenent in educanda juventute. Hac epiſtola Cocchius probabat in primis exercendum eſſe corpus, & ita afficiendum, ut obedire animo poſſit in labore vitaeque incommodis tolerandis. Qua in re procuranda quam providi & ſolertes eſſent quoque veteres Romani, nemo ignorat. Cogitanti mihi quanta nominis ſui gloria aemula & imitatrix ſit Britannia Romanarum virtutum conſuetudinumque, nunquam ſatis admiranda videtur humanarum rerum varietas, fortunaeque viciſſitudo. Etenim eadem illa regio eſt, quae, ut pote rebus omnibus aeſtimabilibus ſpoliata, & non niſi eſſedariis abundans quondam ipſis Romanis fuit ludibrio & deſpectui *. Sed redeat unde aberravit oratio. Intelligebat Antonius eam jam eſſe de ſe omnium opinionem, ut ſi publice medicinam facere Londini voluiſſet, plurimum inde percepturus eſſet utilitatis; ipſaque conjux Valliae Principis ultro ei detulerat amplum

* Vid. Cic. Epiſt. Fam. ad Trebat.

ſtipendium, majoreſque ſpes, ſi ſedem ac domicilium in Britannia collocaſſet. At ille recuſavit haec omnià deſiderio incenſus redeundi in patriam, cujus, ſicuti praeclare admonet Cicero, tanta eſt vis ac tanta natura, ut vel Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam ſapientiſſimus vir Ulyxes immortalitati antepoſuerit. Priusquam itineri ſe committeret Antonius, certiorem fecit ſententiae voluntatiſque ſuae de ſe optime ſemper meritum Carolum Rinuccinium. Quod cum ille audiſſet, ſine mora egit cum Joanne Gaſtone Magno Etruriae Duce, ut hominem ſatis jam notum inter Academiae Piſanae doctores cooptari vellet. Facile quod poſtulabat obtinuit, & quod apud Principem gratia valeret, & quod ad hujus etiam aures praeclara de Cocchio fama pervenerat. Tali modo ille an. MDCCXXVI. declaratus fuit Medicinae Theoreticae Doctor, quod munus non multos poſt menſes inivit eleganti ſane oratione, quam de medicinae laudibus habuit. Quo quidem tempore ipſo quidam homines, qui oderant in Cocchio frequentem transmarinarum rerum

praedicationem, illiuſque doctrinae, quae raro congruebat cum ea diſciplina, quam ipſi colebant, quorumque invidus animus offendebatur, cum cernerent multorum nobilium diſcipulorum & nonnullorum etiam collegarum non obſcura in illum ſtudia, nihil non tentandum eſſe ſtatuerunt, ut eum de laudis poſſeſſione deturbarent. Cujus in arcem ut invaderent, non habuerunt validiora arma, quam quae dabat iis ſumma difficultas, qua in memoriter dicendo vehementer angi Cocchium haud obſcure apparebat. Neque enim iis, ut his temporibus, Academia ferebat liberiorem licentiam de ſcripto dicendi e ſuperiori loco. Quanquam magnitudinem animi minime inflexerit Cocchius invidorum injuriis, ut aliquid potius additum ad memoriam nominis illius, quam ademptum de fama dignitateque aequis hominibus videretur, decrevit tamen illorum oculos vitare, cum linguas facile non poſſet. Ceſſit ergo ex Academia Piſana, poſtquam paucos menſes in ea fuiſſet, Florentiamque venit ibi tranquillitatem, non otium quaerens. Nam aſſiduitate quotidiana & non mediocri labore im-

poſitum ſibi onus publice docendi in Lyceo Florentino medicinam, naturalemque philoſophiam ſuſtinebat & colendis manſuetioribus muſis operae plurimum ſtudiique conſumebat. Cum se frequenter abderet in bibliothecam Laurentianam, exſcripſit quidem VII. S. Gregorii Nyſſeni Graecas litteras, quarum exemplum poſtea vendidit non grandi quidem pecunia Joanni Baptiſtae Caracciolo Theatino, qui easdem epiſtolas an. MDCCXXXI. Florentiae edidit. Nec minoris laboris fuit omnes Philonis Hebraei manu ſcriptos codices, qui in eadem ſunt bibliotheca, diligenter evolvere, & cum editis illius ſcriptoris libris conferre, ut varias lectiones notaret, utque mancos curruptoſque locos ſuppleret atque emendaret; quae res maximae utilitati fuit Mangejo, cum Londinensibus typis Philonem imprimendum curaret. In bibliotheca Monachorum Caſinenſium ex antiquo codice deſcripſit Charitonis Aphrodiſienſis amatorias narrationes de Chaerea & Callirrhoe ea mente, ut e Graeco in Latinum converteret & in lucem emitteret. Sed magnam, quam ex hujusmodi opere poterat ſibi polliceri gloriam

cum levi XL. centuſſium compendio commutavit. Tanti enim illud exemplum emit Jacobus Philippus de Orville, a quo conſilia Cocchii ad exitum poſtea perducta fuere. Volens autem Antonius ampliorem habere campum, in quo cognoſci poſſet, quantum praeſtaret in Graecae & Latinae linguae cognitione, & in omni fere arte, cui propoſita ſit hominum ſalus, in Latinum ſermonem convertendos ſuſcepit chirurgicos quosdam veterum Graecorum libros, qui latebant in theſauris bibliothecae Mediceae. Neque illud minus laudabile, quod ad exercendos magis magiſque diſcipulos ſuos, ſtudiumque hiſtoriae naturalis recolendum dederit operam, ut quae ann. MDCCXVIII. a Petro Antonio Michelio, Nicolao Gualterio & Sebaſtiano Franchio inſtituta fuerat *Societas botanica*, & quae pene eſſe deſierat, inſtauraretur. Qua in ſolemni inſtauratione, quae accidit an. MDCCXXXIV. nobilem ipſe orationem habuit de utilitate hiſtoriae naturalis. Hujus facultatis biennio poſt laudationem quoque conſcripſit, cum juſſu illius, qui Societati praeerat ſibi dicendum fuiſſet

Digitized by Google

de Michelio, qui per illa tempora e vivis exceſſerat. Difficile enim erat a commendatione unius alterius laudes ſejungere, cum nemo dubitet Michelium longe omnibus, ſaltem in Italia, antecelluiſſe rei herbariae intelligentia. Hoc autem argumentum ita tractavit Cocchius, ut nihil gravius & ornatius afferre potuiſſe judicatus fuerit; quo judicio plurimum ipſe laetatus eſt, quod non tam propriae, quam amici & praeceptoris gloriae ſervire optabat. Recitavit eodem ferme tempore Latinam orationem *de uſu artis anatomicae*, in qua enucleate & polite, ut ſolebat, illius artis ortum, progreſſionem, utilitatemque in medicina & chirurgia facienda perſecutus eſt. Ab hac oratione exorſus eſt munus, quod ſibi aſſignatum fuerat docendae anatomes in noſocomio ad S. Mariae Novae. Illud vero ſic obivit, ut non ſolum doctus, ſed etiam elegans explicator admirandae corporis humani fabricae judicari voluerit. Quapropter & ſtudioſe & frequenter audiebatur. Vidit tamen non ſatis conſultum eſſe utilitati illorum, qui medicinae ſtudebant in eodem noſocomio, niſi ad publicas

exerci-

exercitationes anatomicas, quae inſtituto majorum hiberno tempore fieri ſolebant, privatae & annuae adderentur. Itaque ejus conſilio & auctoritate factum eſt, ut nova ibidem inſtitueretur ſchola, quae totis illis quindecim annis, quibus illam rexit Antonius, ſemper floruit nobilitate diſcipulorum. Neque hos Antonius in ſola anatome erudiebat, ſed etiam in chirurgia, maximeque medicina. Quoniam vero, ut praeclare admonet Cicero, medici, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi non poſſunt, Cocchius non ſolum ſuadebat, ſed etiam jubebat diſcipulos ſuos ſecum inviſere aegrotos, originem, progreſſiones & exitus morborum deſcribere, horumque veras cauſſas in cadaveribus diſſectis inveſtigare & adnotare, qua quidem re nihil eſt neque certius, neque expeditius ad perfectam artis cognitionem acquirendam. Cum vero plurimis in curationibus ipſe oſtendiſſet ſe de inſtantibus veriſſime judicaſſe, & de futuris callidiſſime conjeciſſe, tanti hoc fuit ad illius famam, ut eodem tempore & diſcentibus & conſulen-

tibus ſatisfacere cogeretur. Eſt boni medici non ſolum diligenter videre, qui curſus & natura ſit morbi, verum etiam acuere ingenium ad praevidendum quid futurum ſit. Caute tamen praedicendum eſt, cum ſit nihil incertius hujusmodi medicis divinationibus, nihil fallacius rationibus illis, quibus illae plerumque nituntur. Sed Cocchius nimis ſibi confidens, putanſque ex ſuis ſuperioribus vere praedictis conſtituiſſe jam apud homines auctoritatem augurii & divinationis ſuae, non dubitanter & temere de vita aut morte aegrotantium ferebat ſententias, quas rei exitus ſaepe erroris redarguebat. Ex quo factum eſt, ut per quos gradus ad famam excellentis medici pervenerit, per eos fere ad contemptionem deſcenderit. At nos, qui hujuſmodi regula (caſus enim in medicina dominatur) magnos medicos metiendos minime putamus, videmur poſſe contendere, Cocchium & prudentia & mentis acumine & exemplo & praeceptis & inſtitutis (ſervat adhuc Florentinum noſocomium multa, quae juſſu & auctoritate Principis ipſe praeſcripſit) optime meritum de ſimplicis illius medicinae

genere, quod majores noſtri, ac in primis Franciſcus Redius, praeclare fundatum nobis reliquerunt. Cum autem hos inter ingenio ſcientiaque jure putaretur excellere Laurentius Bellinius, magna cura & diligentia conquiſivit Cocchius ſcripta illius, quae minime eſſent edita, eo conſilio, ut ipſe in apertum referret. Nec aliud quidpiam obtinere potuit, quam ſermones quosdam Italicos de rebus anatomicis. Hos vero maximo ornamento affecit, cum quae praefatus eſt de materia, in qua ſinguli eorum verſantur, de ſcribendi genere Bellinii proprio, de ejusdem doctrina, infortuniis, aliiſque rebus ad ipſius vitam pertinentibus neque elegantius neque eruditius ſcribi potuerint. Paullo longius quam par erat Antonium efferre voluiſſe ſimplicem medendi rationem ii judicabunt, qui legent illa, quae ipſe exaravit de victu Pythagorico. Noverat longinqui temporis uſu & periclitatione quam ſalubriter homines ſaepe ſe abſtinerent a vino, uterenturque iis cibis, qui facillimi ſunt ad concoquendum, quales ſunt fructus, olera, lac, mel, & nonnullae etiam carnes, ſed quae tenerrimae ſint, mi-

nimeque pingues & glutinoſae. Hujusmodi victus, quem ab illius auctore Pythagoricum appellamus, tantam eſſe utilitatem probare voluit Cocchius, ut nihil majoris momenti habere diceret ad artem ſuam exercendam non ſolum medicos, quibus ſalus propoſita eſt, ſed etiam eos, qui tanquam aliptae virium & coloris rationem habere debent. Fortaſſe Cocchius praedicari de ſe & nominari volebat, cum nova quaedam in medio proponeret: nec mirum, ſi incurrerit in reprehenſiones nonnullorum medicorum, ac praeſertim Joſephi Antonii Pujati & Jani Planci, apud quos tantum non valebat auctoritas Cocchii, ut, quemadmodum de Pythagora accepimus, ſolo illius teſtimonio, minime vero ratione & experientia rem definiendam putarent: quanquam Cocchius ſatis probabiles reddidit rationes, cur non ſolum utilis, ſed etiam neceſſarius cenſeri debeat ad ſalutem uſus illorum ciborum, quos terra fert, dumque ii virides adhuc retinent ſuccum ſuum. Merito etiam uſum lactis rerumque acidarum in medicina laudavit; & ſi his finibus ſe continuiſſet, neque voluiſ-

ſet excludere ab omnium menſa, ut a ſua certe non excludebat, vinum & beſtias, quibus veſci ſolemus, terrenas, aquatiles & volatiles, juſta reprehenſione caruiſſet. Conſumpſit magnam orationis partem in Pythagorae factis, doctrina & moribus, quales a veteribus proditi ſunt (videtur etiam aliquid addidiſſe de ſuo) exponendis, ſuſpicioque eſt, imagine illius philoſophi ſuam adumbrare voluiſſe. Verum ſi Cocchius penitus introſpexiſſet in mentem suam, intellexiſſet ſe minime poſſe adſpirare ad laudem perfectae cognitionis rerum mathematicarum; inventioniſque novarum rerum, quibus naturae ſcientia augeretur; qua laude aliiſque multis ingenii dotibus, prudentiaque prope ſingulari ad omnem vitam legibus & inſtitutis excolendam conſtituendamque in primis floruit Pythagoras. Quo vero acrius veſtigiis veterum moniti recentiores medici de ſimplicitate in medicina retinenda cogitarent, omnes antiquitatis memorias colligendas ſuſcepit Cocchius, quae Aſclepiadis nomen, vitam & ſcientiam in medicina facienda illuſtrare poſſent. Is eſt Aſclepiades, quo Craſ-

ſum medico amicoque uſum, & a quo ceteros omnes medicos eloquentia ſuperatos fuiſſe narrat Cicero; qui quidem praeclarus adeo auctor fuit ſimplicis medendi rationis, ut hujus exempla ab illo ſe petiiſſe gloriaretur Redius. Totum hoc opus Cocchius quinque in partes dividere meditabatur, quarum prima exprimeret imaginem conſuetudinis atque vitae Aſclepiadis, reliquae exponerent praecepta illius diligenter enodata, recentiſſimiſque obſervationibus aut confirmata aut emendata. Extrema manus acceſſit priori parti; haecque eſt una ex omnibus, quae poſt Auctoris mortem lucem aſpexerit. Secunda, quae phyſiologiam tractat, habet praeclara inchoata multa, perfecta non plane. Reliquarum non niſi ſylva quaedam ad nos pervenit. Erant multi, qui dicerent videri ſibi Cocchium, cum illuſtrium veterum medicorum inſtituta reſque geſtas exponeret, facere idem, ut ait Cicero, quod ſeditioſi cives ſolebant, cum aliquos ex antiquis claros viros proferebant, quos dicebant fuiſſe populares, ut eorum ipſi ſimiles viderentur. Profecto ille vetera & veteres valde ama-

vit: & tum ſe praeclare operam poſuiſſe putabat, quando ex antiquitatis monumentis aliquid in apertum extraxiſſet, quod congruerei cum illa diſciplina, quam ipſe ſequebatur. Sic volens convincere eos, qui negabant lotione aquae frigidae ali vires, nervos confirmari, & non paucos ſanari poſſe morbos, ad multas, quas ex phyſica attulit rationes, addidit etiam exemplum auctoritatemque antiquorum. Probat enim illius uſum communem vulgaremque fuiſſe non ſolum apud Romanos & Graecos, ſed etiam apud Aegyptios, & ab his profluxiſſe ad hominum utilitatem. Inter morbos, quos frigida curari putat, eſt tabes pituitoſa, qua laboraſſe Auguſtum poſt illius reditum a domita Cantabria dicit, contra ac narrat Svetonius, qui morbi illius ſedem in jecore ponit; quapropter bene ac ſapienter feciſſe Antonium Muſam, qui in illius curatione frigida fomenta, amotis calidis, adhibuit. Juſſus inquirere num a veteribus medicis mentio facta eſſet verminum cucurbitinorum, hos ab iis obſcure adumbratos potius, quam deſcriptos fuiſſe reperit. Neque a veteribus non

modo, ſed nec a recentioribus etiam, qui inter inveſtigatores rerum naturalium principatum tenuerunt, quales profecto fuere Malpighius, Redius & Vallíſnerius, ſatis hac in re factum fuit phyſicorum votis, credo, quod raro accidat hujuſmodi vermes videre. Semel iterumque vidit Cocchius, reſque a ſe notatas in eo praeſertim, quod ſpectat ad miras eorum inter ſe copulationes & adhaeſiones, expoſuit *Societati Botanicae*. At quoniam perſequi inſtituimus, quae in veterum ſcriptis quaeſivit Cocchius ad eas artes, quas profitebatur, illuſtrandas, erit hujus loci referre opus ab eo editum, donatumque Latina interpretatione, quod inſcribitur: *Graecorum chirurgici libri, Sorani unus de fracturarum ſignis, Oribaſii duo de fractis & luxatis e collectione Nicetae*. Magnum damnum fecerat illa medicinae pars, quae manu curat, quia miſere perierant plurima veterum Graecorum volumina, quibus totam artem chirurgicam diligentiſſime comprehenſam fuiſſe ſcimus. In hac jactura ſuperfuerunt tamen, tenues veluti reliquiae, collectiones quaedam, inter quas tum ſcriptorum copia, tum utili-

tate longe ceteris praeſtat illa, quam ſaeculo XI. exeunte Nicetas confecit, cujuſque exemplar Joan. Laſcares Conſtantinopoli Florentiam adſportavit. Ex hac collectione excerpſit Cocchius Sorani & Oribaſii libros, quos ſupra commemoravimus, hoſque Latinos fecit, adnotationibus illuſtravit, & magnifice imprimendos curavit. Tales enim illos eſſe putavit, ut Graecae linguae ſtudioſis, & iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum in chirurgia virorum, plurimum prodeſſe poſſent, & afferre adjumenta ad vitia quaedam corporis obſcuriora dignoscenda, & certa & ſelecta praecepta ad morbos, quibus oſſa afficiuntur, removendos. Docuit etiam Antonius lectores ſuos de reliquis ſcriptis in Nicetae opere contentis, & in quo illa verſentur argumento, nonnullorumque ſpecimen dedit. Nec ſine corollario opus eſſe voluit, cum ex Mediceo Celſi codice, *quicum nullum inter omnes Italiae membranas aetate vel emendatiori ſcriptione comparandum eſſe* cenſuit Joannes Rodius *.

* Praef. in Scribon.

protuliſſet variantes VIII. libri lectiones, quae quidem plurimae erant maximique momenti. Et ne res prorſus aliena a propoſito videretur, fecit ſimilitudo argumenti, cum oſſa aut vitiata, aut fracta, aut de loco mota ſibi curare Celſus libro in illo proponat. Hac re voluit etiam Cocchius aliqua ex parte ſatisfacere deſiderio Morgagnii, a a quo honorificentiſſimis ſane verbis invitatus fuit * ad evulgandas omnes, quas ex veterum exemplarium Celſi collatione excerpſerat, variantes lectiones, quibus & facilior & felicior eſſet emendatio, in qua Morgagnius tum elaborabat, illius politiſſimi utiliſſimique ſcriptoris. Gloriabatur quoque Cocchius, magnis hominibus auctoribus & laudatoribus Meadio & Boerhaavio, ſe impulſum fuiſſe ad edendos Sorani & Oribaſii libros, quapropter ſe effecturum, ſi vita & pecunia ſuppeterent, ut illorum alii ſimiles ac veluti comites prodirent in lucem. Minime tamen hoc praeſtitit, cum ipſum quotidie aliud ex alio impedierit. Ad munera enim,

* Vid. Morg. epiſt. 7. in Celſ.

Digitized by Google

quae ſuſtinebat in noſocomio Florentino anatomes & chirurgicarum inſtitutionum praeceptoris, nec non medici, ut appellant, conſultoris, adjunctum fuit onus ordinate diſponendi libros, quibus copioſiſſime inſtructa eſt bibliotheca Magliabechiana, nec non cura numiſmatum aliorumque monumentorum antiquitatis, quae mirum in modum ornant pinachothecam Mediceam, ad quae explicanda cum honorificentiſſime invitaretur a Carolo Rinuccinio, operam praeſertim ſtudiumque ſuum collocavit in iis, quae ad Graeciam pertinent. Implicabatur etiam Cocchius multis medicis curationibus & conſiliis, quae ab eo praeſertim requirebant exteri & abſentes. Horum enim magna ſemper fuiſſe videtur opinio de illius prudentia in medicina facienda. Nec ſecus de eodem opinatos fuisſe Emmanuelem Richecourtium ceteroſque, qui Franciſci I. Caeſaris nomine Etruriam rexere, illud declarat, quod nulla fere res geſta ſit publica ad medicinam quomodocumque pertinens, de qua prius ſit decretum, quam Cocchii ſententia cognita. Sunt in manibus hominum quae conſultus reſpondit, ut

probaret & auctoritatibus & rationibus minime phtyſin inter contagioſos morbos numerandam eſſe. Nihilo tamen minus nonnulla prudenter eſſe cavenda dicebat; eaque lex, quam habemus de modo, quo tractari debent tabe affecti, & expurgari res, quibus ii ſunt uſi, fere tota ex ipſius ſententia condita fuit. At nihil honorificentius facere potuit Richecourtius, quam ut Cocchii in primis eſſet judicium, quid maxime conduceret ad reſtituendam jamdiu ſublatam Piſanis balneis celebritatem. Haec vero quo major eſſet ſua quoque commendatione, de iisdem balneis opus conſcripſit vulgavitque, in quo poſtquam loci ſitum, caeli naturam, & nonnulla ad hiſtoriam Piſarum pertinentia (hiſtoricum etiam agit in fine operis) deſcripſiſſet, in eo philoſophari incipit, ut definiat qui ſit aquarum color, odor, ſapor, pondus, calor, vis & effectus parteſque, quibus componuntur. In harum rerum cauſſis aſſignandis ſi ſe abſtinuiſſet ab iis, quarum cognitio ab exquiſita quadam doctrina phyſica pendet, prudentius quidem egiſſet. Ait enim, ut unam rem exempli cauſſa po-

Digitized by Google

nam, hujusmodi aquas vitri pelluciditatem idcirco habere, quod in iis magna inſit raritas ab interno emanans aere; hoc vero paullatim aufugiente, quod evenit, quando aquae ſeparantur a fonte, & ab externo tanguntur aere, tum ipſas denſari aquas, & nonnihil nativae pelluciditatis amittere. Quod ad aquarum vero naturae inveſtigationem per chemica experimenta pertinet, haec non ita diligenter inſtituta videntur, ut non multa illius artis intelligentes deſiderent. Exornat ample magnificeque Antonius, in quo maxima libri pars verſatur, aquarum virtutem, ſic ut ad omnes fere ſanandos morbos (adeo liberaliter cum iis egit) utiliſſimas eſſe praedicet. At ſi quid ineſt in hoc aliiſque libris Cocchii, quod minus probari debeat, non ille quidem fraudandus eſt merita maximaque laude, ita ſcilicet eos ſcripſiſſe, ut nullius ſcripta fuerint & eruditione & lepore & feſtivitate orationis conditiora. Ex diligenti & nunquam intermiſſa lectione veterum ſcriptorum comparavit ſibi eruditionem; ut vero ad perfectam dicendi laudem perveniret, multis litteris & exquiſitis maxi-

miſque exercitationibus fuerat conſecutus. Porro non fuit Cocchius unus ex multis elegantibus ſcriptoribus; potius inter multos prope ſingularis fuit, & ſuam quamdam effinxit formam dicendi, quae ita libere fluit, ut nuſquam adhaereſcat, ita pura eſt, ut nihil liquidius, ita compoſita, ut nihil in ea ſit humile, inſolens, aut longius ductum; & quae translata ſunt ad illuminandam orationem, ea non irruiſſe in alienum, ſed in ſuum potius immigraſſe locum videntur. Accedit numerus & ordo rerum plenus artis, & comprehenſio exquiſitarum reconditarumque ſententiarum, & frequens uſus oppoſitorum, quae proprietates rerum non tam indicant, quam ad vivum exprimunt. Sed qui apud alios loqui adeo didicerat, non multum ipſe ſecum. Exiſtimabat enim ſuo jure poſſe dicere per ſe Etruriam ad priſtinae gloriae ſpem revixiſſe, ſe jam obtinuiſſe principatum in medicina ceteriſque facultatibus, ex quibus illa conflatur; & levior Demoſthene, qui illo ſuſurro delectari ſe ajebat aquam ferentis mulierculae inſuſurrantisque alteri, hic eſt ille Demoſthenes, non ſolum monſtrari

digito gaudebat, ſed etiam pene indignabatur, niſi monſtraretur. Diſcipulos ſuos non modo pios, ſed etiam venerabundos habere volebat; & quae iis tradebat, tanquam ex oraculo edi a ſe putare coarguebatur. Cujus rei ſuſpicionem id non minimum augebat, quod eſſet tardiloquus, & omnium verborum ponderibus uteretur. At nimium intolleranterque ſibi Cocchium plauſiſſe illud praeſertim declarat quod C. & amplius volumina ſcripſerit ephemeridum rerum ſuarum, ad quae delegamus eos, qui nos reprehendere ſolent, quod in declarandis illuſtrium virorum factis & moribus nonnulla praetermittamus. Ex illis enim intelligent qua hora cubitum ierit, & qua ſurrexerit Cocchius, quid ſomniaverit, quibuſcum & quo in loco ſermones habuerit, quibus cibis, & quam delicatis (neque enim in ejus victu, uti ſupra innuimus, terra nata ſolummodo erant in honore) ejus menſa extrueretur, quo uteretur piſtore & coquo, quos ſibi convivas adduceret, quam ab iis collectam exigeret, num in ſole, num in umbra ambularet, ceteraque hujusmodi, qui-

bus quaſi rimas hujuſce commentarioli ſe explevitſe gloriari poterunt. Sunt qui ſuperbiae vitio vertunt, quod Cocchius adeo contempſerit oppugnatores ſuos, ut ne verbum quidem iis unquam reſponderit. At nos libentius in hoc agnoſcimus tranquillitatis ſtudium, animique conſtantiam magnitudinemque. Ex quo fiebat, ut & multorum moroſitatem perpeteretur, arrogantiam perferret, & vel domeſticas ſollicitudines exſorberet. Nam Socratem imitatus eodem vultu domo exibat & revertebatur. Conſulebat quid maxime conduceret ad vitae felicitatem, & hoc ſtudioſiſſime conſectabatur; adeoque illi favit fortuna, ut in eo valde ſe amaret, quod & famae ſuae & tranquillitati belliſſime ſemper ſervierit. Habebat plura & honorifica munera, & ex iis divitias non ſolum ad uſus vitae neceſſarios, ſed ad cultum etiam elegantem & ſplendidum. Depoſito onere docendi medicinam in Academia Piſana, quod per aliquot tantummodo menſes illum ſuſtinuiſſe diximus, quamvis nihil poſtea de Academiae commodis cogitaverit, obtinuit tamen an. MDCCXLV. ut Anatomes *Emeritus profeſſor*

de-

declararetur, ut ab Academia abeſſe ſibi liceret, utque ex illius aerario clx. centuſſes ſibi quotannis ſolverentur. Ad excolenda ſtudia ſua, & ad pompam etiam, cum multorum nummorum bibliothecam habere voluiſſet, hanc magna ex parte collegit ex amicorum liberalitate. Floruit enim ſemper ſummorum clariſſimorumque virorum familiaritatibus. Plurima & inſignia facile conſecutus eſt doctrinae teſtimonia. Nam multis erat Academiis adſcriptus, e quibus contenti erimus nominaſſe Florentinam, quae eſt patriae linguae cuſtos ac moderatrix, & Regiam Londinenſem: homines litteris clari libros illi dedicarunt; percuſſum etiam ab amico numiſma cum effigie ejusdem, & cum expreſſis ſignis illarum diſciplinarum, in quibus putabatur excellere. Illius domus magna frequentia illuſtrium civium, & praeſertim exterorum, qui Florentiam adventabant, quotidie fere celebrabatur. Ex Tereſia Piombantia (neque hoc dubitamus in maximis illius proſperitatibus ponere) filium & filiam ſuſcepit, qui paternam gloriam plurimum auxere. Fuit enim Raymundus multis

& graviſſimis artibus atque doctrinis & ingenio prorſus ſingulari inſtructus atque ornatus. Beatrix vero, quae nupta erat Angelo Tavantio homini ampliſſimis honoribus & praemiis decorato, habuit & ipſa quoque a natura eximium ingenium, cujus ſpecimen dedit cum an. MDCCLI. e Britannica in Italicam linguam convertiſſet, & in lucem emiſiſſet quamdam epiſtolam, qua recens nuptae ſalutaria praecepta dantur. Qui hanc epiſtolam legerint, non dubito quin puellam Mucellanam (ſic libuit auctori ſe appellare) patris elegantia, quemadmodum de Laelia Caii filia praedicavit Cicero, tinctam videant. Antea quoque duxerat Cocchius in matrimonium Cajetanam Debiam, ſed ex ea nullos habuit liberos. Multi profecto mirabuntur hominem διγαμον auſum fuiſſe ea de matrimonio ſcribere, ut quidquam libero lectulo negaverit eſſe jucundius, magiſque neceſſarium ad tranquille beateque vivendum. Luſiſſe arbitror Cocchium dum haec ſcripſit, aut, ut ſolebat, oſtentandi ingenii cauſſa rem, quae eſſet mirabilis & contra omnium opinionem, voluiſſe defendere. Sed ita com-

preſſit ſcriptum, ut nunquam emanaturum putaverit, cumque emanaſſet poſt illius mortem, judicio Romanorum de Religione Quaeſitorum merito damnatum fuit.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam ſapere & fari poſſit, quae ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus non deficiente crumena?

Ita feliciter cum vixiſſet Cocchius an. LXII. menſes IV. dies XXVIII., placide acquievit, omnibus Religionis officiis rite ſancteque perſolutis, Kal. Jan. an. MDCCLVIII., ſepultuſque fuit in Aede S. Crucis prope Michelii ſepulcrum. Ejus diſcipulus & amicus Dominicus Brogianius marmoreum monumentum ei faciendum locavit, in quo hoc ſcripſit elogium.

D. O. M.

ANTONIO . COCCHIO
PHILOSOPHO . ET . MEDICO
PRAESTANTISSIMO
FRANCISCI . CAESARIS . ANTIQVARIO
DOCTRINARVM . LINGVARVM . QVE
PERITIA
PRVDENTIA . PROBITATE
BENEFICENTIA
SVIS . EXTERIS . QVE . PROBATISSIMO
DOMINICVS . BROGIANIVS
AMICO . ET . PRAECEPTORI . GRATVS
POSVIT . ANNO S. MDCCLXXIII.
AB EIVS OBITV XV.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Xenophontis Epheſii Epheſiacorum lib. V. de amoribus Anthiae & Abrocomae nunc primum prodeunt e vetuſto Codice Bibliothecae Monachorum Caſſinenſium Florentiae cum Latina interpretatione Antonii Cocchii Florentini. Londini typis Gulielmi Bowyer 1726. in 8.

Medicinae Laudatio Piſis publice habita in celeberrimo Gymnaſio A. D. XII. Kalend. April. A. C. MDCCXXVI. ab Antonio Cocchio Florentino ibid pub. Med. Theor. Prof. Lucae 1727. in 4.

De uſu artis anatomicae oratio A. Cocchii Mugellani Coll. Medic. Florentini & Publ. Phil. Nat. & anatomes Prof. habita in bibliotheca Inſig. Noſocomii Sanctae Mariae Novae III. idibus Martii MDCCXXXVI. &c. Florent. 1736. typis Antonii Mariae Albizzini. *Ne Florentinum, ſicuti antea fecerat, ſed Mugellanum tum in hac, tum in ceteris, quae conſecuta ſunt, operibus ſe appellaret Cocchius, cauſſam dederunt voces malevolorum, quos convincere voluit non probro, ſed gloriae ſibi ducere, quod e Burgo S. Laurentii Mucellanae Provinciae non obſcuro quidem oppido eſſet oriundus.*

Dei Diſcorſi Toſcani del Dottore Antonio Cocchi medico & antiquario Ceſareo Parte I. & II. in Firenze 1761. appreſſo Andrea Bonducci. *Pleraque illorum ſcriptorum, quae hac volumine continentur, antea ſeparatim edita erant. En eorumdem index.*

I. Diſcorſo primo di anatomia di Antonio Cocchi Mugellano letto da lui pubblicamente in Firenze il dì 19. Settembre 1742. nel teatro del grande Spedale di S. Maria Nuova.

II. Sopra l' uſo eſterno appreſſo gli antichi dell' acqua fredda ſul corpo umano.

III. Sopra l' iſtoria naturale in occaſione del riſtabilimento della Società Botanica Fiorentina.

IV. Elogio di Pietro Antonio Micheli Fondatore della ſocietà Botanica Fiorentina.

V. Dei vermi Cucurbitini dell' uomo.

VI. Prefazione della parte prima dei diſcorſi di anatomia del celebre Lorenzo Bellini pubblicati in Firenze l' anno 1741.

VII. Prefazione alla parte II. e III. dei diſcorſi di anatomia del Bellini pubblicati in Firenze l' anno 1744.

VIII. Del vitto Pitagorico per uſo della Medicina. *Opus hoc primo exiit in lucem Flor. an.* 1743.

IX. Sopra il contagio della tabe polmonare.

X. Prefazione alla vita di Benvenuto Cellini.

XI. Lettera critica ſopra un MSS. in cera a S. E. il Sig. Preſidente Pompeo Neri. *In fine hujus epiſtolae legitur:* Diarium Philippi III Regis Francorum a tabulis fagineis ceratis authographis Joannis de Sancto Juſto excerptum ab Antonio Cocchio Mucellano.

XII. Lettera al Dottore Antonmaria Biſcioni ſopra il male detto volgarmente del Miſerere.

XIII. Lettera al Sig. Marcheſe Carlo Rinuccini

ſul poema del Sig. di Voltaire intitolato in Francese la *Henriade*. *Ex Italica in Gallicam linguam converſa, editaque fuit haec epiſtola cum ipſo poemate, cui ille ſummas laudes tribuit*. Amſtelod. an. 1741.

Interpretazione di un paſſo di Giuſeppe Ebreo. *Extat* nelle Note al Malmantile, *ubi extat etiam epiſtola, quam ſupra commemoravimus*, del male del miſerere.

Dei Bagni di Piſa Trattato di Antonio Cocchi Mugellano. In Firenze nella ſtamperia Imperiale 1750. in 4.

Graecorum Chirurgici libri, Sorani unus de fracturarum ſignis, Oribaſii duo de fractis et de luxatis e collectione Nicetae ab antiquiſſimo et optimo Codice Florentino deſcripti, converſi atque editi ab Antonio Cocchio Anatomes Profeſſore publico, et Antiquario Caeſaris. Florentiae 1754. ex typograph. Imperiali in fol.

Diſcorſo I. di Antonio Cocchi ſopra Aſclepiade in Firenze 1758. nella ſtamperia di Gaetano Albizini.

Del matrimonio Ragionamento di un Filoſofo Mugellano coll' aggiunta di una lettera ad una Spoſa tradotta dall' Ingleſe da una fanciulla Mugellana. In Parigi nella ſtamperia Italiana 1762.

OPERA INEDITA

Diſſertazione ſopra la cioccolata.

—— ſopra l'argomento ſe ſia più eſpreſſiva la pittura che la poeſia.

Orazione per l' ingreſſo alla lettura di filoſofia nello ſtudio Fiorentino detta pubblicamente il dì 13. Dicembre 1732.

Relazione in forma di lettera a S. E. il Sig. Conte di Richecourt nell' atto di mandargli la relazione del Reg. Spedale di S. Maria Nuova.

Deſcrizione di tutte le medaglie Greche, che ſono nella Galleria Medicea.

Raccolta di CC. Conſulti Medici.

—— di MMM. iſtorie ed oſſervazioni mediche di lui e della ſua ſcuola. *Dignum quidem opus publica luce, ut pote quod plurimum medicinam nomenque Cocchii illuſtrare poſſet. Ex hoc uno judicare facile eſſet, quanto acumine et prudentia praeditus eſſet Cocchius in medicina facienda, et quam aptus ad erudiendam juventutem, exercendamque in iis rebus, in quibus vera, non circulatoria, ars medendi conſiſtit. Narratur mihi opus utiliſſimum pecunia emptum a neſcio quo extero homine fuiſſe, et miror ſane amorem patris et Etruriae minime coercuiſſe Raymundum filium ne pretio parvo ea, quae a majoribus acceperat, alienaret.*

Inſtituzioni Anatomiche contenenti tutta l' Oſteologia, o Trattato dell' oſſa ſecche e parte della miologia.

—— chirurgiche comprendenti la fiſiologia.

Diſcorſi Anatomici detti pubblicamente.

Metodo nuovo di allattare i bambini a mano ſcritto a Monſig. Rucellai Spedalingo degl' Innocenti.

Regolamento dello Spedale di S. Maria Nuova.

Lettera al Dot. Tommaſo Puccini ſull' educazione degl' Ingleſi.

—— al P. D. Giuſto V. contenente un metodo d' imparare la lingua Graeca in cento lezioni. *Hac me-*

Digitized by Google

thodo uſum fuiſſe Cocchium arbitror cum Londini an. 1722. *in lingua Graeca erudiſſet Paullum Rollium* .

Lezione ſopra lo ſtudio ſolitario .

Diſcoſo II. (non compito) ſopra Aſclepiade .

Relazione della malattia e apertura del cadavere della Ducheſſa di Shewsbury , che era della nobiliſſima famiglia dei Paleotti di Bologna .

Excerpta ex Platone . *Loca Platonis illuſtriora ſic digeſſit Cocchius , ut ſua ſingulis facultatibus , ad quas pertinent , aſſignaverit* .

Studj varj ſulle lingue Orientali .

---- ſulla Scrittura Santa .

Veterum Codicum omnium ad Medicinam pertinentium Laurentianae Bibliothecae deſcriptiones cum cujusque ſpecimine aliquo , et ſcriptura ab impreſſis varietate .

Digitized by Google

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XI.

CONTINENTUR.

Joſephus Auguſtinus Card. Urſius	*pag.* 6.
Jo. Laurentius Bertius	43.
Bernardus Maria de Rubeis	99.
Thomas Vincentius Monelia	148.
Petrus Benedictus	174.
Franciſcus Maria Card. Caſinius	194.
Jo. Vincentius Luccheſinius	219.
Jo. Antonius Blancus	245.
Alexander Guidius	269.
Bernardinus Perfectius	298.
Laurentius Lorenzinius	318.
Antonius Cocchius	342.

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN XI. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Acerius : ſententia in eum lata 101.
Adrianus Belga 221.
Aegidius Romanus 39.
Albanius Jo. Franciſcus 274. 276.
Albaſpinaeus ab Urſio confutatus 14.
Aldoenſis Stephanus 185.
Alferius Victorius 291.
Ambaraehius (*vide*) Benedictus
Andronicus Imperator 117.
S. Antoninus Arch. Florentinus 14.
Antonius Pedemontanus ejus vita 13.
Antiochena Eccleſia 175.
Aquilejenſis hiſtoria edita 105. 108. Aquilejenſium Patriarcharum vitae 106. qua de cauſſa ii eſſe deſierint 124.
Arnaldus Antonius 24.
Aſclepiades ejus medendi ratio 357.
Auguſtiniana familia per quos theologos illuſtrata 39. et ſeq. cui addicta in theologicis ſtudiis 49.
S. Auguſtini doctrina defenſa 55. et ſeq. ejus ſententia de neceſſitate hiſtoriae 97. de ſacra eloquentia 136. et ſeq.

B

Ballerinii Fratres 107.
Baptiſma in nomine Jeſu Chriſti 19.
Baſnagius Samuel confutatus 12. 19.
Belellius accuſatus et defenſus 55. 69.
Bellinius Laurentius 355.
Benedictus XIII. 305.
Benedictus XIV. 40. 52. 55 56. 66. 68. 73. 81. 168. 227. 247. 255.
Benedictus Petrus 174. ejus inſtitutio et progreſſus in litteris 175. in Etruria ſubſiſtit 176. Piſanus Profeſſor creatur 178. S. I. nomen dat 181. S. Ephraemum in Latinum convertit 182. de ſacra Coena diſſertationes edit 183. Liturgiam et originem Maronitarum illuſtrat 185. ejus mors ib.
Benvenuta Bojana ejus vita 118.
Bertius Jo. Laurentius ejus prima inſtitutio 44. et ſeq. ſacrae eloquentiae dat operam 46. poeſi 47. theologiam docet 49. hujus inſtitutiones edit 50. et ſeq. quos homines in ſe concitaverit 53. 56. 57. 64. Auguſtinianum ſyſte-

ma ſcriptis defendit 55. ejus ſcripta apologetica 57. 60. 62 63 et ſeq. 71. 80. ejus munera in Academia Piſana 65. opus de Eccleſiaſtica hiſtoria 70. de vita S. Auguſtini 72. ejus diſſertationes Eccleſiaſticae 73. et ſeq. Breviarium hiſtoricum 78 defenſio Auguſtiniani ſyſtematis 70. ejus fama in theologicis rebus 81. mors 82. 84. mores 86. opera edita 89. et ſeq.
Berretta Franciſcus 127.
Berruyerius confutatus 118.
Beſutius Joachim 56.
Bindius Jo. Baptiſta 299.
Blanchius Jo. Antonius ejus ortus et puerilis inſtitutio 245. munera 246. et ſeq. opus de controverſiis Sardiniae Regis cum Romano Pontifice 248. adverſus Jannunium 249. adverſus Concinam 251. 253. tragoedias condit et theatrum defendit 252. cum Scarafantunio ſcriptis pugnat 254. vis ejus doctrinae 255. mors 256. ejus cura in inſtituenda juventute 258. opera 261.
Blanchinius Joſephus 105.
Bona Cardinalis 68
Bonamicius Philippus 215. 265.
— — Caſtruccius 236.
Borellius Alphonsus 315.
Boſſuetius ab Urſio confutatus 22. 250.
Bottarius Joannes 30. 226.
Bremundus Antonius 123.
Brenna Aloyſius 170.
Britannorum mores et ſtudia 347.
Brogianius Dominicus 371.
Bullius Georgius reprehenſus et defenſus 102.
Bulgarorum Eccleſiae hiſtoria 115.

C

Canonici juris origo 240. et ſeq.
Capronius Ferrantes 178.
Caraffa Franciſcus 128.
Caſtilionenſis Franciſcus ejus opus 13.
Caſinius Franciſcus Maria ejus inſtitutio et munera apud Cappuccinos 195. 199. ſacrae eloquentiae vacat 197. creatur Pontificius Concionator 199. Cardinalis 201. ejus mores 196 201 et ſeq. munera in Romana Curia 205. mandata 206. mors 210. opera 212. et ſeq.
Catanus Carolus Ambroſius 10.
Celſus a Cocchio illuſtratus 361.
Charitonis Aphrodiſienſis amatorium opus 350.
Chriſtus J. ejus anni illuſtrati 159.
Chriſtina Svecorum Regina Guidio favet 270. ab eo laudatur 274 276. 285.
Chirurgi veteres 360.
Clemens XI. 181 201. 206. 209 223. 226. 233. 279 282. et ſeq.
Clementis XII. vita 2. quae Urſio mundaverit 18. 37. 181. 226. quae

Blanchio 247.
Clemens XIII. 28. 81. 128.
Clericus Joannes 157.
Clochius Antoninus 130.
Cocchius Ant. ejus ortus et educatio 342. medicinam excolit 343. itinera 344. 345. Xenofontem Epheſium in Latinum convertit 345. In Etruriam rediens in Academiam Piſanam cooptatur 348. qua de cauſſa ex ipſa abierit 349. Florentiae Graecos veteres ſcriptores quoſdam illuſtrat 350. ejus oratio de laudibus medicinae 348. hiſtoriae naturalis 351. de uſu artis anatomicae 352. hujus magiſter creatur ib. medicinam etiam docet 353. Bellinii ſcripta edit 355. victum Pythagoricum laudat ib. oppugnatur 356 Aſclepiadis medendi rationem laudat 358. uſum aquae frigidae 359. de verminibus cucurbitinis ſcribit 359. Graecorum chirurgicos libros vulgat 360. Celſum illuſtrat 362. ejus munera et mandata 363. 368. de Piſanis Balneis ſcribit 364 ejus in ſcribendo elegantia 366 ſui laudator 367. quam feliciter vixerit 369. 371. de matrimonio opus edit 370. reliqua ejus opera 373.
de Colonia 69.
Combefiſius Franciſcus 94.
Concina Daniel 100. 251.
Concilium Florentinum 17.
---- Illiberitanum 15.
---- Conſtantienſe 24.
Conſtantinopolitanorum Patriarcharum ſeries 117.
Corſinius Nereus Cardinalis 1. 18. 28. 37 326.
---- Philippus 4. 198.
Coſmus Mediceus 5. 153. 176. 320. 321.
Coſcia Cardinalis num Archiepiſcopatu privari potuerit 18.
Creſcimbenius Marius 280. 307.
Chriſmatis uſus in confirmationis ſacramento 19.
Cyprius Georgius ejus vita 117.

D

DAntes quam theologiae diſciplinam ſecutus ſit 77.
Davenantius Henricus 346.
Delphinius Daniel 123.
Demoſthenes interpretatus 223.
Dionyſius Areopagyta de ejus operibus judicium 116.
Dodwellus confutatus 13.
S. Dominici ejusque diſcipulorum vitae 27.
Drouvenius Urſium confutat 21.
Duceſnius Io. Baptiſta confutatus 20.

E

ECardua Iacobus 102. 112.
Eccleſia quomodo ſe geſſerit tribus prioribus ſaeculis erga capitalium criminum reos 14.
Elegantia quam philoſophiae

conveniat 371.
Eloquentia ſacra quomodo tractanda 186. et ſeq.
S. Ephraemi opera edita 182.
Emlynus Thomas 120.
Epicuri doctrina examinata 164.
Eraſmus erroris convictus 97.
Eugenius Princeps 281.

F

FAcundi Epiſcopi Hermianenſis libri editi 104.
Faanefius Raymundus II. 269.
Faſſinius Vincentius 144.
Fataliſtae confutati 163.
Ferdinandus I. Mediceus 176. II. 5.
Fleurius Claudius Romanis Pontificibus infenſus 25.
Foggius Franciſcus 239.
Fogginius Petrus Franciſcus 32. 37.
Fontaninius Juſtus 180.
Forojulienſe Concilium 105.
Foſcarenus Nicolaus 101.
Franciſcus II. Magnus Etruriae Dux 81. 161.
Freretius confutatus 147.

G

GAllorum Reges quam in Romanos Pontifices liberales 27.
Garampius Joſeph 99.
Gatrius Angelus 335.
Gentilottus Jo Benedictus 101.
Gioja Auguſtinus 52. 66.
Gornius Bertium calumniator 56.
Gottius Antonius Dominicus 343.
Grandius Guido 324. 325. 343.
Gravina Janus Vincentius 231. 277.
Gregorius Ariminenſis 40.
Gregorius Magnus defenſus 29.
—— XII. 105.
Guidius Alexander ejus poetica virtus 265. et ſeq. 272.277. ortus et educatio 269. honores in Parmenſi Aula 270. Romam venit 270. qua ratione et via ad perfectam poeſim acceſſit 271. ſe ipſum laudat 272. et ſeq. ejus drama 270. 275 fabula 275. de Arcadia quam benemeritus 278. Homilias Clementis XI. Italicis verſibus reddit 279. quo ſucceſſu tragoediam condit 280. patriam defendit 282. mortem obiit 283. a Perfectio laudatur 285. a Martellio 282. a Pontifice honoratur 283. ejus mores 285. opera 288.
Guidonis Fratris epiſtolae 64.

H

HArduinus laudatus 102. 119.
Haſtingus Theophilus 345.
Herodis et Pilati hiſtoria 160
Hiſtoriae cognitio quam neceſſaria Theologo 96.
Hortani eorum motus 206.

I

JAcobus II. Brittaniae Rex laudatur 274.
Iacopettius Caſpar 186.
Jacquelotius laudatus 366.

Jannetius laudatus 296.
Jannonius a Blanchio confutatur 49. ejus mores 251.
Jeſuitae Urſio infenſi 3. Bertio 65.
Illiberitana Synodus quo tempore habita 15.
Indi quando Catholicam Religionem ſunt amplexi 166.
Innocentius XII. 199. 222.
Joannellius Nicolaus 312.

K

KOhlius Jo. confutatus 283.

L

LAnguetius Bertium oppugnat 56.
La fredinius Cardinalis 225.
Laſcares Jo 361.
Lazzarinius Dominicus 47.
Lebrunius confutatus 184.
Leonellius Leopoldus 318.
Lequienius Michael 97. 102.
Libertas homini vindicata 163.
Lineeus Jo. Baptiſta 99.
Lorenzinius Laurentius ejus ortus et educatio 318. calamitas 320. in carcerem detruditur 321. quae ibi opera mathematica confecerit 322. in libertatem vindicatur 324. ejus opera ſinterica 326. et ſeq. ejus mores 330. mors 331. opera 333.
——— Stephanus quam excellens medicus et anatomicus 319.
Luccheſinius ejus prima inſtitutio 220. 221. Romam concedit 221. Demoſthenem in Latinum convertit 223. Secretarius Pontificius creatur 224. 226. ejus mores 228. et ſeq. doctrina et opera 230. et ſeq. de ejus hiſtoria judicium 234.
Lucenses eorum controverſiae cum Romanis Pontificibus 81. eorum Reſpublica laudata 219.

M

MAcarius confutatus 118
Maffejus Scipio 105.
Magalottus Laurentius 9. 178.
Mamachius Thomas Maria laudatus 6 158.
Mantuana Synodus 105.
Martenius ab Urſio confutatus 14.
Marcio quo tempore ſuos diſſeminavit errores 15.
de Marca Petrus 24. 250.
Marchettus Alexander 421.
Materialiſtae confutati 163.
Mediceus Laurentius 294.
Medicinae vices et hiſtoria 336. et ſeq.
Menainius Benedictus ejus poetica virtus 266.
Merſennus Marinus 45.
Mexicana hiſtoria 4.
Michelius Petrus Antonius 351.
Michael Paleologus 117.
Minorellius Thomas 154.
Monelia Thomas Vincentius ejus in rem Catholicam merita 144 ejus educatio puerilis 149. munera apud Dominicanos 151. in Britanniam concedit 152. ad

Digitized by Google

ſuos redit 153. ſacris concionibus operam dat 154. de origine Roſarii ſcribit 155. ejus diſſertationes chronologicae 158. ejus ingreſſio in Academiam Piſanam 161. opus adverſus Fataliſtas et Materialiſtas 163. Librum l' *Experit* confutat 165. de antiquis Etruriae urbibus ſcribit 166. ejus mores 167. mors 168. opera 169.
Morellia Magdalena 295.
Morgagnius Celſum illuſtrat 162.
Morinus Jo. 175.
Muratorius Lud. Ant. 107. 109. 232.
Muſa Antonius 359.

N

NAtalis Alexander 54. 70. 94. 160. 250.
Newtonus Henricus 151.
Nicetae collectio. 160.
Noriſius Cardinalis 41. 54. 68. 70.

O

ODeſcalchia Victoria 265.
Orientales litterae et codices. 176.
Oribaſius ejus opus 360.
Orville Philippus 351.

P

PAllii origo 76.
Panvinius Onuphrius 41.
Patuelius P. 69.
Perfectius Bernardinus 285. ejus ortus 298. a natura formatus ad poeſin 299. quantum in extemporali poeſi valeret 300. et ſeq. corona poetica donatur 305. ejus religio et mores 308. et ſeq. mors 312.
Petavius ab Urſio confutatus 14.
Petrus II. Luſitaniae Rex in ejus funere oratio 233.
Petrarcha Franciſcus 267. 307.
Philippi et Auguſti religio 170.
Phtiſis num ſit contagioſa 364.
Platonis doctrina explicata 77.
Poeſis extemporalis hiſtoria 291.
Polidorius Franciscus Maria 98.
Pontifices Romani quam de juſtitia meriti 241 quam rebus ſuis conſuluerint 243.
Pollinus Petrus 187.
Puccinius Thoma 343. 346.
Pujatus Joſeph Antonius 356.
Pythagoras laudatus 357.

Q

QUietiſus 112.
Quirinius Angelus Card. 128. 161. 180. 182.

R

REdius Franciſcus 320. 343. 355. 358. 360.
Remedellius Dionyſius 168.
Renaudorius confutatus 184.
Retius Franciſcus 182.
Riccardus Alexander 101.
—— Simeon confutatus 17.
Richecourtius Emmanuel 363. 364.

Rinuccinius Carolus 348. 363.
Ripolius Thomas 20. 122.
Rodius Jo. 361.
Rollinii de Lucchesinio judicium 231.
Romani Pontificis poteſtas defenſa 24. ejus dominium temporale 27. quae ſint ejuſdem jura 243.
de Rubeis Bernardus Maria ejus prima inſtitutio 99. Dominicanae familiae nomen dat 100. Dominicanorum opera colligit 101 Viennam et Pariſios concedit ib. de Georgio Bullo opus ſcribit 102. de Monacharu D. Thomae 103. de Facundo Epiſcopo Hermianenſi 104. de hiſtoria Eccleſiaſtica Aquilejenſi 106. et ſeq. de Ruffino Monacho et Presbytero 110. de S. Thoma ejusque ſcriptis 112. et ſeq. de Theophilacto 115. de Georgio Cyprio 116. de Benvenuta Bojana 118. de Congregatione ſua ib. ejus diſſertationes variae eruditionis 119. opera Theologica 121. ejus mores et munera 122. et ſeq. fama 127. mors 131. opera 132 et ſeq.
Ruffini Monachi et Presbyteri hiſtoria 110 111.
Rufus Thomas 247.
Ruinartius confutatus 13.

S

Sacerdotii et Imperii jura 243. 250.
Saleonius Bertio et Belellio infenſus 55.
Salvinius Antonius Maria 47 345.
Sardiniae Regis cum Romano Pontifice controverſiae 247.
Schlaegerius Julius Carolus 109.
Schiaffinatius Nicolaus Antonius 49.
Sectanus Quintus Guidinm exagitat 273. 279.
Semipelagianorum haereſis 75.
Seraſſius Petrus Antonius 265.
Seripandius Hieronymus 40.
Serrius Hiacynthus 54. 161.
Sirmondus Jacobus 104.
Societas Botanica Florentina a quibus inſtituta 356.
Soranus ejus opus 360.
Sotus Petrus defenſus 20. 54.
S. Spiritus invocatio num neceſſaria ad Euchariſtiam conficiendam 16.
Stayus Benedictus laudatus 316.
Syrorum ordinationes defenſae 176.

T

Taffinius Petrus 160.
Tamburinius Fortunatus 56.
Tartarottus Hieronymus 119 135.
Taſſus Torquatus 283. 307.
Tavantus Angelus 370.
Tenderinius Franciſcus 102. 106. 209.
Tertullianus quo tempore Montani ſectator eſſe coeperit 13.

Tiepolus Laurentius 101.
Tillemontius confutatus 160.
Theatrorum vitia quomodo emendanda 251.
Theophilacti editio 115.
Theologus quibus doctrinis inſtructus eſſe debeat 96. et ſeq.
Thomaſinus Ludovicus 250.
Thomas Aquinas defenſus 19. 21. num Monachus fuerit 103. de ejus vita et ſcriptis diſſertationes 112. et ſeq. ejus ſententia de hominis et Dei libertate 163.
Tonellus Ermenegildus 100.
Tourronius Antonius 27.
Tournonius Card. 166.
Tuetteus Antonius Auguſtinus confutatus 17. 184.

V

VAlſechius Antoninus 94. 100.
Veneta hiſtoria illuſtrata 121.
Vivianius Vincentius 318.
Urſina Card. ejus prima inſtitutio 6. 8. magiſteria 9. ejus opus de mendacio 10. de actis SS. Martyrum Perpetuae &c. 12. de diſciplina Eccleſiae erga capitalium criminum reos 14. de invocatione Spiritus S. in lyturgiis Graecorum et Orientalium 16. Florentino Coenobio S. Marci praeficitur 15. Romam advocatur 18. quae mandata a Pontifice habuit 18. ejus diſſertationes de Baptiſmo et de Chriſmate 19. Theologus Caſanatenſis creatur 19. Petrum Sotum defendit 20. Boſſuetium oppugnat 22. et ſeq. hiſtoriam Eccleſiae ſcribit 26. vitas S. Dominici ejusque diſcipulorum in Italicum convertit 27. ejus elegantia 28. munera et dignitates 22. 28. mors et teſtamentum 30. mores 21. opera 33. laudes 100. 155.

X

XEnophon Epheſius in Latinum converſus 345. 346.

Z

ZAccaria Franciſcus Antonius 57.
Zenus Apoſtolus 101.

ERRATA		CORRIGE
Pag. lin.		
9. 5.	Joanne	Joſepho
106. ult.	Forojalenſe	Forojulienſe
161. 23.	cuidam	quodam
176. 31.	millia	millibus
329 2.	parabolici	parabolicee
339. 8.	et per experimenta mortes	et experimenta per mortes

005270811 MAGL..5.6.199.

Digitized by Google

Digitized by Google